



Crimen Fori Ecclesiastici

Seu Decretalium Gregorii IX. Pont. Max. Liber V ; Brevi Methodo ad discentium utilitatem Expositus, In quo praecipuae circa Materiam hujus Libri Quinti, quae tum in Theoria, tum in praxi occurrunt, difficultates solvuntur, allatis etiam contrà sentientium fundamentis, & horum solutionibus

Accedunt tres Indices, unus Titulorum initio Operis, duo rerum, & verborum notabilium in calce ejusdem, prior quidem super Tomum praesentem, alter compendiosus super Universum Jus Canonicum

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1727

VD18 13510827-001

[Pars III. De Delictis propriis Clericorum.]

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75255)



PARS III.

De Delictis propriis Clericorum.

Post examinata Delicta, quæ tum Cul-
tui, & Fidei Divinæ, tum Charitati
proximi adversantur, subjunguntur Delicta,
quæ in Clericis solis vel deprehenduntur,
vel specialiter reprehenduntur. Inter hæc
primo loco occurrit Venatio. Sit ergo

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

S U M M A R I U M.

- 1. Quot sint Venationis species?
- 2. Quanam Venatio sit licita, quæ illi-
cita?
- 3, 4. Quæ Venatio sit prohibita clericis, &
Religiosis?
- 5. &c. An rectè Venatio clamorosa sit ipsi
prohibita?
- 9. &c. Pœna Clerici Venatoris.
- 12. &c. An bene gravior pœna sancita sit Epi-
scopo, quàm inferioribus Clericis?

Quæritur 1. quot sint Venationis spe-
cies? *Re. à Sylv. V. Venatio pr.*
& Sebast. Medices *de Venation. q. 1. n. 5.*
tres species referuntur, scilicet *Oppressiva*,
sic dicta ab injusta oppressione hominum;
arenaria, quæ exercetur cum bestis de-
pugnando in arena; & *Saltuosa*, seu *Syl-
vatica*, quæ ad ferarum, volucrum, &
piscium etiam (nam etiam *Piscatio* sub no-
mine generico *Venationis* comprehenditur)
ordinatur.

Quæritur 2. quanam ex his tribus
Venationis Speciebus sit licita, quæ illicita?
Re. prima ex his omnino illicita est can. fin. S. fin. dist. 6. Altera, si exerceatur pro quæstu, inducit infamiam. hunc titulum 1. S. removet 5. v. qui operas suas ff. de postuland. Tertia per se licita est: fieri tamen illicita potest ex quadruplici maximè capite. Et 1. quidem ex persona venantis: & sic Venatio interdicta est Clericis can. quorundam 1. dist. 34. can. qui venatoribus 2. & 9. dist. 26. & c. Episcopum 1. ac c. fin. h. tit. junct. Trid. sess. 24. c. 12. de reform. 2. Ex tempore, quo fit, si scilicet instituat diebus festis, & ita, ut per eam fiat, ne sacrum audiatur. Less. l. 2. de J. & J. c. R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

3. n. 44. Rebell. l. 1. q. 14. sect. 3. n. 14. Palao tr. 30. D. un. p. 14. n. 2. 3. ex loco, in quo instituitur, si scilicet venatio in saltu, aut piscatio in lacu alieno contra Domini voluntatem instituat; quia quilibet habet jus prædii suo utendi, & illius usum omnibus aliis prohibendi. Palao l. cit. n. 3. 4. ex detrimento boni communis, vel particularis: quod fieret, si esætales projicerentur in flumen, quibus pisces omnes enecarentur, & aquæ inficerentur; aut cum pedibus, equis, canibus conculantur sata, destruantur vineæ, dissipantur sepes &c. Less. l. cit. n. 40. Palao n. 5.

Quæritur 3. qualis Venatio prohibita sit Clericis? Nam duplicem DD. Venationem saltuosam distinguunt: ex his una dicitur *Quieta*, quæ sine strepitu, laqueis, retibus &c. atque etiam paucis canibus adhibitis, lepores, vulpes, aliæque feræ minores, & aliquando etiam volucres capiuntur. Alia *clamorosa*, quæ magno armorum, retium, canum, accipitrum apparatu, tumultuque, & vehementiâ apros, cervos, aliâsque præsertim majores feras, & aliquando etiam aves capiendo exercetur. *Gonzal. in c. 1. b. tit. n. 5. Pirhing hic n. 3. Wiestner ibid. n. 2.*

A Ex

Ex his Venatio Quæta personis Ecclesiasticis permiffa est, fi utilitatis, aut necessitatis corporalis, vel etiam honestæ recreationis causa, vel rariùs instituat. Gloss. in c. 1. V. voluptate h. tit. Sylv. V. Venatio v. quantum verò ad personam. Bellet. Disquis. Cleric. p. 1. tit. de Disciplin. Cleric. §. 19. Less. 2. de J. & J. c. 5. n. 40. Pal. tr. 30. D. un. p. 14. n. 1. Barbof. in c. 1. h. tit. n. 2. Wagnereck in c. fin. ibid. not. 2. Vallenf. hic n. 1. §. 2. Engl. n. un. Pirhing n. 3. König n. 1. §. 3. Wieselner n. 3. Reiffenstuel n. 5. §. 6. Ratio est, quia Venatio ex se actus, sive res indifferens est, & permiffa Jure naturali arg. §. fere 12. Inst. de rer. divis. igitur nisi prohibita Jure positivo fit Clericis, & Religiosis, etiam ipsis est licita. his autem prohibentur Venationes solum illicitæ, & Statum illorum dedecentes, qualis solum Clamorosa est, non autem Quæta Venatio, prout patet ex c. fin. h. tit. Clem. 1. §. porro de Stat. Monach. & Trid. sess. 24. c. 12. de reform. ergo &c. Accedit consuetudo, optima Legum interpres, quâ constat, hujusmodi Venationem passim etiam à doctis, & timoratis Clericis pro licita reputari, indeque sine scrupulo prædicari.

Quæritur 4. an rectè Clericis, & Religiosis prohibita sit Venatio clamorosa? Videtur, etiam ipsam permiffam, vel saltem permittendam esse, ex duplici argumento. Nam 1. eisdem permiffa est Piscatio can. nunquam 33. v. taxantur de consecr. dist. 5. huic autem Venatio in Jure æquiparatur arg. §. flamina 2. & §. fere 12. Inst. de rer. divis. 2. c. cum venerabilis 21. de Censib. mentio fit de Spallis, seu ut Dufresne Glossar. V. Spalla explicat, de armis, sive partibus ferarum, v. g. apro- rum, aut cervorum, ab Abbate pro licentia venandi pendendis Episcopo.

sed dicendum, rectè Venationem Clamorosam, & Quietam nimis frequentatam prohiberi Clericis, & aliis personis Ecclesiasticis. Ratio prohibitionis est, quia Venatio hæc partim propter tumultum, & clamorem satis dissolvit, & dehonestat Clericalem modestiam; partim quia propter inmitem calidi sanguinis animalium effusionem refert, quandam speciem belli, simulque excitat in animis aliquam asperitatem, & truculentiam debite mansuetudini, & lenitati Clericali valde adversam. Accedit, quia per Venationem etiam Quietam, nimis tamen frequentatam, Clerici à Divinis Officiis, & Spiritualibus aliisque Clericalem Statum decentibus occupationibus abstrahuntur, hoc ipso, quòd Venationi nimium dediti primas diei curas, & primum, idemque nobilissimum tempus, quod Divino obsequio, & præfatis occupationibus consecra-

re deberent, feris, aut volucris investigandis, & insectandis, capiendisque impendant, prout cum aliis bene observat Menoch. de arbit. cas. 413. n. 15. Laym. l. 3. tr. 1. c. 5. n. 15. Gonzal. in c. 1. h. tit. n. 7. Pirh. hic n. 2. König n. 1. Reiffenstuel n. 7.

Multò magis Venatio interdicta est Monachis, & aliis Religiosis. Clem. 1. §. porro de Stat. Monach. quia adhuc magis illos dedecet, ita, ut nec recreationis causâ Venatio eis liceat, si per se Venationi dent operam, ut est communis opinio apud Diaz præf. crim. can. V. Venatores c. 71. in addit. Lit. c. v. recreationis. Palao tr. 30. D. un. p. 14. n. 1. §. qua dicta sunt. Barbof. in c. 1. h. tit. n. 4. & in c. fin. n. 2. Pirhing hic n. 3. fin. Addit tamen Palao l. cit. & tr. 16. de Stat. Relig. D. 4. p. 13. §. 5. in his Venationis usum, si scandalum abfit, non esse peccatum mortale. Quod multò magis verum est de Clericis Sæcularibus; nam hi etiam si Venationem etiam Clamorosam per se ipsos exercent, secluso scandalo, vel aliâ circumstantiâ extrinsecâ, rarò peccant mortaliter, ut expressè docuerunt Medin. Cod. de Restit. q. 12. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 44. Less. l. 2. c. 5. n. 43. Emm. Si V. Venatio art. 4. Edit. Roman. Rebell. l. 1. de oblig. Just. q. 14. sect. 2. n. 10. Laym. l. 1. tr. 1. c. 5. n. 15. Palao n. 1. cit.

Neque obstant Argumenta opposita. Ad 1. negatur paritas; quia Venatio propter saltus, & clamores magis dissolvit, & dehonestat Clericalem modestiam, nutrit otium, & vitia, ac per crebram, & imitem calidi sanguinis animalium effusionem, ut n. 6. dictum est, excitat in homine asperitatem, & truculentiam contra Clericalem mansuetudinem; quod non contingit in Piscatione: ut proinde illa, non ista merito prohibeatur Religiosis, & Clericis, præsertim cum plures sanctos Piscatores, & inter hos ipsos Apostolos, qui artem istam etiam post conversionem exercuerunt, ut passim in Evangelio legitur; Venatorem autem, teste S. Hieron. can. Esau 11. dist. 86. ne unum quidem Sanctum in Scripturis legamus. Ad 2. Spalli ferarum ab Abbate non pendebantur pro licentia venandi per se, vel per suos Monachos, sed per extraneas, & Sæculares personas, per quas exercere Venationem Religiosis, & Clericis non est prohibitum. Gonzal. in c. 1. h. tit. n. 9. Wieselner hic n. 9.

Quæritur 5. sub qua poena Clericis, & Religiosis prohibita sit Venatio? si sæpius exercita fuerit, c. Episcopum 1. h. tit. Episcopus jubetur tribus mensibus à communione arceri, Presbyter duobus, Diaconus verò suspendi ab Officio, sine

sine determinatione temporis : ideoque post aliquot dies , vel quando placuerit , Episcopus cum Diacono poterit dispensare ; non autem dispensari poterit cum Episcopo vel Presbytero ante trimestre , vel bimestre elapsum , Diaz *pract. crim. cau. c. 71. n. 1.* Porro suspensionem hanc in

Diaconum Venatorem latam , Gloss. *fin. in c. 1. cit.* extendit etiam ad Subdiaconum . Minores verò Clerici arbitrio Judicis plectendi sunt *arg. c. de causis 4. de Offic. Deleg. Host. Summ. n. 4. Anchar. b. t. Vivian. in c. 1. b. tit. prop. fin. Barbof. ibid. n. 6. § 10. Medices de Venat. q. 9. n. 8. § 9. Vallens. hic n. 1. Pirhing n. 1. § 4. König n. 2. Wiestner n. 2. Reiffenstuel n. 9.* quod tamen restringendum est ad solos Clericos in Minoribus , qui Beneficia Ecclesiastica obtinent : secus quoad alios ; hi enim nullam poenam incurrunt . Pirhing *n. 4. cit.*

10 Porro ad incurrendam poenam , in Clericos statutam , idem Pirhing *l. cit.* cum Host. *in c. 1. cit. fin.* requirit , ut præcedat monitio *arg. can. indignè 21. caus. 12. q. 2.* ubi dicitur , quòd vindictam debeat precedere admonitio . Sed contrarium tenet Diaz *c. 71. cit. n. 4.* ubi ait , quòd monitio hæc operetur , ut , si Clericus admonitus à Venationibus cessare nolit , possit deponi , non propter Venationem , sed propter inobedientiam .

11 Imò has poenas consuetudine abrogatas , notat Wagnereck *b. tit.* quâ consuetudine etiam derogatum est Cano-

nibus , siquiescent , quibus talis quoque Venatio , & requisita ad eam v. g. canes , retia &c. prohiberentur , quæ nec ab Officiis Divinis avocant , nec mansuetudini Clericali contraria sunt ; cum enim talis Venatio , & requisita ad eam ex se indifferentia , & Jure naturali , permessa sint , ut dictum est *n. 4.* utique valebit consuetudo contra Legem talia prohibentem *arg. c. fin. de Consuet. Pirhing n. 4. fin. Reiffenstuel n. 10.*

Quæritur 6. an bene gravior poena Episcopo , quàm Presbytero , & huic , quàm cæteris Clericis sancita sit ? Videtur non bene sancita esse ; quia *c. usurarum 1. V. qui verò de Usur. in 6.* Episcopalis Ordinis Prælato minor , quàm inferioribus Clericis , ubi par delictum est , poena imponitur ; & aliàs generalis est Regula , quòd qui majori nobilitate , & dignitate fulget , mitius puniatur *c. pastoralis 28. pr. ibi , Dignitati deserat de Offic. Deleg. & l. sacrilegii 6. pr. ibi , Aut si honestiori loco natus sit ff. ad Leg. Jul. Pœculat.*

Verùm hæc Regula , ut Tiraquell. *13 de pœn. temper. cas. 37.* notat , solum procedit , quando Dignitas Delicti gravitatem non auget : secus , si ex delinquentis Dignitate crescat , prout fit in casu præsentis . Hinc dicendum , merito Venatores Episcopos graviori , quàm inferiores Clericos poenâ affici . Gonzal. *in c. 1. b. tit. n. 8. fin. Wiestner hic n. 4.*

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

SUMMARIUM.

1. Specialiter prohibentur Clerici percutere alios.
2. &c. Quibus id liceat ?
3. An Prælati Clericos sibi subditos disciplina causa possit percutere manu propria ?
6. Et , si per alium , per quem ?

7. Qualis debeat esse ista percussio ?
8. &c. Poena Clerici Percussoris.
10. Hodierna observantia circa hoc.
11. Privilegia.
12. Quando Clericus percussor deponi possit etiam ob percussorem non enormem ?

1 Venationem sequitur percussio , quæ duplex est , manu , & linguâ . Manu percutientes Malefici , linguâ percutientes Maledici , appellantur : de his sermo erit Titulo sequente , in præsentis de prioribus . Specialiter autem cuius Clerico , præsertim in Majoribus constituto , prohibitum est Laicum etiam delinquentem sive fidelem , sive infidelem propriis manibus percutere *can. quid autem 1. & can. Episcopum 7. dist. 45. can. non licet 25. dist. 26. & c. si quis 1. b. tit.* Ratio est quia percussio repugnat modestiæ Clericali , ac

mansuetudini Christi , quàm imitari debent Clerici . König *hic n. 1. Reiffenstuel ibid. n. 2.* Verùm prohibitio hæc limitationem patitur ; nam aliquibus Clericis percussio moderata sibi subditorum non est prohibita . Hinc

Quæritur 1. quibus Clericis licitum sit percutere alios Clericos , vel Laicos ? *n. 1.* id possunt Præceptores , aut Magistri Artium Liberalium , si verba , & minæ non proficiant , tunc enim possunt venire ad verbera , sed moderata , prout ratio culpæ , & qualitas personæ exigit .

Δ 2

⊗

& consuetudine receptum est *can. aut facta 19. dist. 1. de penit. & l. sed § si 5. §. fin. ff. ad Leg. Aquil. proceditque hoc*, etiam si Discipuli, quos ita corrigunt, sint Clerici; nam si moderata, & correctionis causâ sit facta percussio, eâ utentes Excommunicationem Canonis non incurrunt *c. super eo 1. §. nec Clerici. §. neque Magister. c. ex tenore 10. & c. cum voluntate 54. §. fin. de sent. Excomm.* quia nec suadente Diabolo facta, nec violenta censetur. Abb. *in c. 1. h. tit. n. 1. Navar. Man. c. 27. n. 81. Suar. de Censur. D. 22. sect. 1. n. 48. Molin. tr. 5. de Just. D. 56. n. 4. Conink D. 14. de Censur. dub. 15. n. 190. §. seqq. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 8. §. quarta. Bonacin. D. 2. de Censur. in part. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 4. Palao tr. 29. D. 3. p. 23. §. 3. n. 6. Gonzal. in c. 4. h. tit. n. 3. Wiestner hic n. 2. Reiffenstuel n. 3. §. 9.*

3. Similiter Excommunicationem Canonis non incurrunt Seniores Sacerdotes, & alii Clerici, si zelo devotionis pueros, vel adolecentes, in minoribus Ordinibus constitutos, dum Officium Divinum turbant, leviter percutiunt *c. cum voluntate cit. §. fin. & c. veniens 16. de sent. Excomm. Abb. ibid. n. 1. Barbof. n. 1. Palao l. cit. n. 6. Wiestner n. 3. Reiffenstuel n. 9.*

4. Possunt Prælati Ecclesiastici tam Sæculares, quàm Regulares disciplinæ causâ moderatè percutere Clericos, & Religiosos sibi subditos, in Minoribus quidem Ordinibus constitutos etiam pro levioribus culpis, in Majoribus autem tantum pro gravioribus *can. cum Beatus 8. dist. 45. can. non licet 25. pr. dist. 86. Palao l. cit. n. 10. Pirh. hic n. 1. Wiestner n. 4. Reiffenstuel n. 9.*

5. Quæritur 2. an Prælatus Ecclesiasticus Clericos sibi subditos disciplinæ causâ percutere propria manu possit? *§. distinguendo inter Episcopum, & alios Prælatos inferiores Episcopo: hi verberare Clericos sibi subditos etiam in propria persona possunt; non verò Episcopus, sed id facere per alium debet can. non licet 25. dist. 86. Excipitur, si alium Clericum, qui id faciat, reperire non possit; tunc enim etiam Episcopus per se verberare Clericum potest, Gloss. in can. non licet cit. Abb. in c. 24. n. 8. de sent. Excomm. Pirhing hic n. 1.*

6. Dubitatur, cui demandari verberatio Clerici, vel Religiosi ab Episcopo, vel Prælato Ecclesiastico possit? *§. demandari debet alteri Clerico, vel Religioso, non verò Laico; alioquin tam Episcopus verberari mandans, quàm Laicus ex mandato Clericum percutiens Excommunicationem incurrunt, etiam si justa verberandi causa subsit arg. c. universitatis 24. de sent. Excomm. Diaz præd. crim. can. V. verberari c. 136. n. 2. §. 3. Suar. de Cen-*

sur. D. 22. sect. 1. n. 42. Barbof. in c. 24. cit. n. 2. Pirhing hic n. 1. Wiestner n. 5. Reiffenstuel n. 7. Excipitur, nisi Clericus penitus esset incorrigibilis; tunc enim per Laicum verberari poterit arg. c. ut supra 35. de sent. Excomm. Gloss. in cas. Summ. dist. 45. Pirhing l. cit. de quo tamen dubitat Diaz l. cit. cum c. cit. loquatur solum de captura facienda per Laicum, & nihil de verberibus.

7. Quæritur 3. qualis debeat esse hæc percussio? *§. debet esse hæc moderata can. disciplina 9. §. seqq. cum præfat. Gratiani incipit Salomon dist. 45. Engl. hic §. quodsi.* Et hinc si Prælatus debitam correctionem in verberando excedat notabiliter, incidunt in Excommunicationem *can. siquis suadente reservatam Papæ, & mittuntur in exilium can. cum beatus 8. fin. pr. dist. 45. Abb. in c. 24. de sent. Excomm. n. 9. & si ex immoderata, & incauta percussione, etiam disciplinæ causâ facta, sequatur mors, vel mutilatio, contraheretur Irregularitas c. Presbyterum 7. de Homicid. Pirhing hic n. 1.*

8. Quæritur 4. quæ sit pœna Clerici alium. etiam Laicum, illicite percutientis? *§. c. siquis 1. h. tit. primò jubetur corrigi pro excessu percussione, & qualitate delicti, ac delinquentis ad arbitrium Superioris; & si non respuerit, deponi. Ex quo sequitur 1. quòd, si se emendaverit, non sit deponendus. Gloss. fin. in c. 1. cit. Engl. hic pr. Pirhing n. 2. Reiffenstuel n. 4. & hinc iterum. Sequitur 2. non esse deponendum Clericum de gradu, & statu Clericali propter unam, vel alteram simplicem percussione; quia post correptionem expectanda est emendatio prout dictum est.*

9. Excipitur autem, si Clericus aliquem 9. lethaliter, vel enormiter percussisset; nam hic etsi istud vel semel tantum fecisset, deponendus esset, etiam sine ulla monitione *arg. can. fin. dist. 25. & c. præterea 2. h. tit. Gloss. in c. 1. eod. Hoff. ibid. Pirhing hic n. 2. Reiffenstuel n. 4. §. 5. Ratio est, quia talis percussio gravissimè adversatur Statui, modestiæ, & mansuetudini Clericali.*

10. Quæritur 5. quæ sit hodierna observantia Statutorum de percussione Clericorum, vel Laicorum? *§. hodie per consuetudinem recessum est in multis à rigore Canonum, præsertim circa prohibicionem, ne Prælatus Clericos delinquentes verberari curent per Laicos; nam ut de consuetudine Galliæ testatur Barbof. in c. 24. de sent. Excomm. n. 2. ibidem Episcopi Clericos delinquentes castigant per Laicos. Et hanc consuetudinem, ut Prælatus Ecclesiastici mediis Laicis capiant, in vincula conjiciant, flagellorum publica puni-*

nitione afficiant, & si opus fuerit, torqueant, ac in trirremibus puniant, etiam alibi passim vigere docent Abb. in c. 12. cit. n. 6. Navar. comment. 3. de Regul. n. 52. Clar. S. fin. q. 77. n. 3. Molin. tr. 3. de J. S. J. D. 56. n. 8. Suar. D. 22. de Censur. sect. 1. n. 44. Coninck. D. 14. dub. 15. n. 191. Avil. p. 2. de Censur. c. 5. D. 3. dub. 12. Filluc. tr. 15. c. 1. q. 1. Laym. l. 1. tr. 5. p. 2. c. 5. n. 9. §. porro. Bonacin. de Censur. in part. D. 2. q. 3. p. 6. sect. 4. n. 5. Palao tr. 29. D. 3. p. 23. §. 3. n. 11. Wiestner hic n. 6. idque merito; ne alias contra c. ut fame 35. de Sent. Excomm. delicta maneant impunita, cum difficile sit reperire Clericos, qui velint in se suscipere munus capiendi, incarcerandi, & verberandi alios delinquentes Clericos. Accedit, quia hujus generis punitionis executio minus decet personam Ecclesiasticam.

Imò id FF. Minoribus ab Alexandro VI. & Leone X. concessum est per Privilegium, ut subditos suos castigare verberibus possint per Religiosos Laicos, seu

Conversos, habetur Compend. Privil. Minor. V. Absolutio ordinaria §. 20. §. 27. conf. id etiam competit ceteris Prælati Ordinum, qui cum iisdem privilegiorum communicationem habent, ut notat Palao l. cit. fin. Quapropter partim his Privilegiis, partim consuetudine introducta possunt Religiosi Prælati absque ulla necessitate Religiosos sibi subditos correctione dignos punire medio Religioso etiam Laico. Navar. de sent. Excomm. conf. 42. alias 28. Molin. tr. 3. D. 51. n. 5. Coninck l. cit. n. 191. Laym. n. 9. Palao l. cit.

Quæritur 6. quando Clericus percussor deponi possit etiam ob percussorem non enormem? R. tunc, quando consuetudinem habet percutiendi, ita, ut facile procedat ad verbera, etiam pro minimis rebus, præsertim juncto scandalo; nam hic, si admonitus se non correxerit, non debet in Gradu, seu statu Clericali permanere, cum Clericos deceat imitatio mansuetudinis Christi. Pirhing hic n. 2. König ibid. n. 2.

TITULUS XXVI.

De Maledicis.

SUMMARIUM.

1. Quid, & quotuplex sit Maledictum?
2. Quis dicatur Maledicus in proximum privatum?
3. Quale peccatum committat?
4. Et quam pœnam incurrat?
5. &c. Quid sit statutum in eos, qui maledicunt Principi Seculari?
7. &c. Vel Pontifici?
10. &c. Aut alii Prælato Ecclesiastico?
13. &c. Modi, quibus aliquis Maledicus possit fieri in DEUM.
15. &c. Hujus pœna.
18. &c. Quando pœna hæc incurrantur?
20. &c. Quæ sit hodierna pœnarum istarum observantia?
23. &c. Quis sit Judex competens respectu criminis Blasphemie?

Quæritur 1. quid, & quotuplex sit Maledictum: R. Maledictum, vel Maledictio à male dicendo, vel loquendo sic nuncupatum est, & dicitur malum dictum, seu mala locutio de alio: & qui ita male loquuntur, Maledici vocantur. Host. Summ. n. 1. h. tit. Pirhing hic. n. 1. König n. 1. Reiffenstuel n. 2. Dividitur in Detractionem, Calumniam, & Blasphemiam, indeque Maledici in Detractores, Calumniatores, & Blasphemos. Blasphemia committitur in DEUM, vel Sanctos; Detractio, & Calumnia in homines, idque vel in Principem, vel in privatum aliquem.

Quæritur 2. quis dicatur Maledicus in proximum privatum? R. qui famam, & exultationem ejusdem deprimit vel aliquid mali e. g. quod sit fur, aut adulter &c. de eo enuntiando, vel bonum, & qua-

litatem ipsi competentem v. g. ingenuitatem, nobilitatem &c. inficiando: quod dupliciter fieri potest, scilicet vel absente proximo; & tunc est Detractio: vel eo præsentem; & tunc Calumnia appellatur. Pirhing hic n. 1.

Utrumque peccatum ex genere suo mortale est, & ejus reus in foro conscientie ad reparationem famæ, & exultationis læsæ; in externo autem Actione injuriarum, & Palinodiæ, seu Recantationis tenetur l. item 15. §. generaliter 27. ff. & l. qui liberos 9. cum seqq. c. de Injur.

Clericus in proximum maledicus, maxime Sacerdos, olim ad injuriæ veniam postulandam cogebatur; & si renueret, degradabatur, i. e. suspendebatur, neque ante præstitam satisfactionem ad Officium Ecclesiasticum unquam revocabatur ex Decreto Concil. Carth. IV. relato can. Clericus

ricus s. junct. Gloss. V. revocetur dist. 46.

5 Quaritur 3. quid statutum sit in eos, qui maledicunt Principi vel Prælato Ecclesiastico? R. distinguendo inter eum, qui maledicit Principi Sæculari, & inter eum, qui Ecclesiastico qui Principi Sæculari v. g. Imperatori, Regi &c. maledicit, præterquam quod gravissimum crimen adversus Legem Divinam Exod. 22. v. 28. & Tit. 3. v. 1. committat, secundum Leges humanas olim Majestatis crimine tenebatur, ob criminis atrocitatem, teste Arnobio libr. advers. Gentes: postea tamen Imperatores Christiani, quod maledicta negligere excelsi, & verè Regii animi esse ducerent, voluerunt, ut, qui hujusmodi maledicta effunderet in Principem, non facilè ad supplicium traheretur; quia, ut prudentissimè, & piissimè Theodosius, Arcadius, & Honorius Imp. l. un. C. si quis Imperat. maledic. inquirunt, si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum; si ab injuria, remittendum: conf. pœna illius certa non est, sed arbitraria. Menoch. de arbitr. cas. 377. n. 9. Brunnem. ad l. cit. n. 2. Wietner hic n. 4. Reiffenstuel ibid. n. 6.

6 Excipitur, nisi maledictum contineat verba spectantia seditionem, aut acclamationes turbulentas, quibus Principis salus, aut status adduceretur in discrimen; tunc enim, & quoties aliàs id justa ratio, vel exempli necessitas scelus puniri exigit, causa remittenda erit ad Principem, ut cognoscat, an, & quâ pœnâ petulantis linguæ audacia puniri debeat. Gloss. in l. un. cit. v. remittendum. Menoch. l. cit. Bruneman. n. 7. Wietner & Reiffenstuel l. cit.

7 Quodsi maledictum in Ecclesiasticum v. g. Pontificem, vel Episcopum conjectum fuerit, distinguendum est, an processerit ex temulentia, levitate, insania vel animi injuriâ exulcerati commotione, an verò ex animo injuriandi. si primum, convenit sic maledicentibus injuriam remitti, juxta can. inter querelas 27. caus. 23. q. 4. & l. si quis 10. C. de Episc. & Cler. quia, ut ibi dicitur, cuilibet Sacerdoti Status sui Sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit, quod mansuetudo eundem, tanquam Christi Vicarium, maximè omnium deceat.

8 Si secundum, videndum, an per ejusmodi maledictum soli personæ derogetur, an verò etiam Sedi Apostolicæ, & Dignitati Pontificali. si prius; iterum mansuetudo Christi, cujus Papa in terris Vicarius est, omnino requirit, ut ipse talem injuriam, suæ personæ illatam, remittat arg. l. un. cit. si enim juxta hanc Legem Principes Sæculares suæ personæ ma-

ledicentibus ignoscunt, multò magis id facere debet Papa, qui illis in moribus, & mansuetudine debet esse exemplo, Wagnereck in Exeg. c. 1. h. tit. Qua in re illustre exemplum dedit S. Pius V. qui famosi criminis in se confecti authorem ad se adductum, & supplicia metuentem pari tam demissione, quam magnitudine animi liberum dimisit, postquam eum his verbis est allocutus: Si tu mihi, ut summo Pontifici, maledixisses, impunè non ferres; verùm quia in Fratrem Michaëlem (hoc nomen ei ut Religioso erat) in Monachum Scarponensem Sc. convitia jactasti, liber abi, quò vis: ego verò humilitatem generis mei, vita, & habitis semper animo retinebo, libenter confitebor. Barbof. in c. 1. h. tit. n. 2. Pirhing hic n. 4. König n. 3. Reiffenst. n. 9.

9 Si posterius contigerit, aut grave scandalum sequeretur, condonari maledictum nec potest, nec debet per textus can. Salomonianæ 24. dist. 63. can. Gullisarius 30. caus. 23. q. 4. & c. innotuit 1. h. tit. ubi Clericus, qui verba quedam in depressionem Officii, & Beneficii (Papalis protulit, à Clemente III. ita compesci jussus est, ut pœna illius aliis terrorem incutiat, ne de cætero contra Romanam Ecclesiam in talia verba prorumpant. Pirhing hic n. 2. Reiffenstuel ibid. n. 8. Quia verò in c. innotuit cit. nulla certa pœna est declarata, arbitrio Judicis determinanda venit, quæ varia erit pro gravitate culpæ, personæ maledicentis, & loci, aliisque circumstantiis. Diaz præf. crim. can. V. maledici c. 70. n. 2. Pirh. n. 5.

10 Porro distinctio hæc observanda est etiam in Principe Sæculari, per maledictum offenso, ut putat König hic n. 3. Item in Episcopo: ubi adverto cum Holt. Summ. h. tit. §. alii maledicunt principem. Farin. prax. crim. q. 105. n. 402. & seqq. Pirhing hic n. 5. not. 6. Reiffenstuel ibid. n. 10. §. 11. etsi Episcopus aliquem ob maledictum, soli suæ personæ illatum, ipsemet punire non possit, tum ob Statum suum, quem, ut dixi, Christi mansuetudo præprimis decet, tum ne in propria causa sit Judex; nihilominus talem arbitrio alterius Judicis pro qualitate delicti puniendum esse. Et quidem Judices Sæculares ex officio punire debent illum, qui maledicto offendit Episcopum, vel Sacerdotem, aut alium Clericum, etiamsi Episcopus, vel alii Clerici eum non accusent; quia universaliter Judicibus Sæcularibus incumbit punire quemlibet, qui aliquam injuriam (qualis utique est etiam maledictum) infert locis, aut personis Sacris, ut expressè statuitur l. si quis 10. C. de Episc. & Cler. Reiffenst. n. 11. cit.

Si Religiosi aliquem Ecclesiæ Prælatum offendant, vel ei detrahant de Jure communi debent per duos menses subiacere illis pœnis, quæ juxta Regulas, vel Statuta eorum ob gravia crimina imponuntur, textu expresso *Clem. 1. §. quibus etiam de privil. Pirhing n. 5. cit. not. 7. Reiffenstuel n. 13.*

Quæritur 4. quot modis maledicus aliquis fieri possit in DEUM. fit hoc triplici modo. 1. quando aliquid affirmatur de DEO? quod ipsi non convenit; e. g. quod sit crudelis, injustus &c. vel negatur, quod ei competit, v. g. Scientia, Potentia, Providentia &c. aut quod Divinitatis proprium est v. g. Omniscientia, Omnipotentia &c. alicui creaturæ v. g. Dæmoni attribuitur: hæc blasphemia *Hæreticalis* vocatur, S. Thom. 2. 2. q. 13. art. 1. Sylv. V. *Blasphemia q. 1. Farin. prax. crim. q. 20. n. 11. Gonzal. in c. fin. b. tit. n. 6. Engl. hic n. 1. Pirh. n. 7. König n. 2. Wiestner n. 7. Reiffenstuel n. 15.*

2. Quando DEUM quis detestatur; vel ei imprecatur malum aliquod, v. g. ut pereat, aut moriatur, ut confundatur, contemnatur, vel non amplius cognoscat, & punire possit peccatum; item cum quis DEUM, aut Christum, vel ejus membra contemptim, & indecenter nominat: hæc *Blasphemia Simplex* dicitur.

3. Quando indecentia, & contumeliosa verba in Deiparam, aliòsque Sanctos jaciuntur, v. g. illam non esse Virginem, istos non esse in coelo &c. sicut enim DEUS laudatur in Sanctis suis, ita etiam Blasphemia quæ fit contra Sanctos, in ipsum redundat, indèque ut Blasphemia in DEUM reputatur, ac punitur. S. Thom. art. 1. cit. in Corp. Covar. in c. *quamvis de Pañ. p. 1. §. 7. n. 8. Clar. §. Blasphemia n. 1. Farin. q. 20. cit. n. 25. Gonzal. in c. fin. b. tit. n. 6. Engl. hic n. 1. v. quod porro, Pirhing n. 7. Wiestner n. 7. Reiffenstuel n. 15.*

Quæritur 5. quale peccatum sit Blasphemia, seu maledictum in DEUM? & quibus pœnis per Jus commune, vel consuetudinarium afficiatur? fit, est gravissimum scelus, & severissimis pœnis ipso Jure castigatur. Nam 1. in *Veteri Testamento*, qui nomen Dei blasphemavisset, à populi tota multitudo lapidibus opprimebatur, ita præcipiente supremo Legislatore DEO. *Lev. 24. v. 16.*

2. *Jure Ecclesiastico* olim, si Clerici fuerunt, deponerentur ab Officio; si Laici, per Sententiam excommunicabantur *can. si quis 10. caus. 22. q. 1.* Postea vero istis Pœnitentia publica, & multa pecuniaria decreta est *c. fin. b. tit. Demum in eisdem, & Clericos Blasphemos variè tam pecuniariæ, quàm cor-*

porales pœnæ, pro delicti, delinquentium, & aliarum circumstantiarum varietate infligendæ, statutz sunt per *Const. Leonis X. incipit Superne dispositionis*, quæ est septima in *tom. 1. Bullar. Cherub. Julii III. incipit in multis* quæ est 23. in *dicto com. 1. Bullar. & S. Pij V. incipit cum primùm*, quæ est quinta in *tom. 2. Bullar.* quas tamen usu ferè non receptas, & propterea in Blasphemorum punitione locorum consuetudines & Statuta observandas monet *Palao tr. 17. D. 2. p. 2. §. 5. n. 1.* Qui Blasphemiam Hæreticalem proferunt, de Hæresi suspecti sunt: proinde contra eos per Ordinarios locorum inquisitio fieri debet. *Engl. hic n. 3.*

3. *Jure Civili* per *Novell. 77. c. 17. §. fin.* in eos constitutum est ultimum supplicium: quod confirmavit Carolus V. in *Recess. August. de Anno 1548. §. 1. & seqq.* ubi blasphemii in DEUM jubentur puniri morte vel amputatione membrorum; blasphemii in B. V. & Sanctos, si moniti non respiciant, vel in corpore, puta, fustigatione, linguæ sectione, aut amputatione &c. vel in bonis pro qualitate personæ, gravitate maledicentiæ, & aliarum circumstantiarum.

Quæritur 6. quando pœnæ hæc incurrantur? fit, incurrantur, quando Blasphemia pronuntiatum plene deliberato animo; nam si hoc fiat ex mala consuetudine, in plena ebrietate, vel etiam in calore, & impetu iracundiæ, ortum habentis ex gravi, & justa causa, talem blasphemiam pronuntians ordinariæ pœnæ non subjacet, sed mitius arbitrio Judicis puniri debet. *Clar. §. Blasphemia n. 16. Menoch. de arbitr. cas. 375. n. 33. Farin. prax. crim. q. 20. n. 24. Pirhing hic n. 11. Reiffenstuel ibid. n. 24. arg. c. fin. b. tit. ibi præsumperit*, quod importat deliberationem, quam ebrii non habent, nec satis habere censentur iracundi, utpote qui nesciunt, quomodo aut quid agant.

Dixi autem notanter, *Ortum habentis ex gravi, & justa causa*: qualis esset, si vir, uxorem in adulterio deprehendens, irâ commotus blasphemet; si enim iracundia ex levi, vel etiam gravi quidem, sed injusta causa proveniat, v. g. si quis justè privatus Officio, aut aliàs graviter punitus, vel ob perditam lusu magnam summam pecuniæ, indèque irâ commotus blasphemet, pœnæ ordinariæ, & per consequens etiam ultimo supplicio subjacet, ut cum DD. *citt. notat Abb. in c. fin. cit. n. 6. Clar. §. fin. q. 60. n. 9. Farin. q. 20. cit. n. 48. & 49.*

Quæritur 7. quæ sit hodierna pœnarum istarum observantia? fit, hodie à pœnarum istarum rigore multum recessum est. *Covar. in c. quamvis de Pañ.*

p. 1. §. 7. n. 10. Clar. §. *Blasphemia n. 3.* Pirhing *hic n. 12.* König *ibid. n. 4. fin.* Hinc considerata sunt Statuta particularia locorum. In aliquibus Provinciis Blasphemi puniuntur fustigatione, sectione linguæ, vel amputatione labii &c. Engl *hic n. 3.* Commutantur tamen hæ pœnæ aliquando in arbitrias ex qualitate personæ, scilicet ætate, & dignitate illius, ac qualitate Blasphemæ, si levis fuerit, aut sine sufficienti deliberatione, ex subitaneo impetu iræ, aut in ebrietate, ut n. 18. dixi prolata.

21 In Bavaria ut plurimum vigent pœnæ jure communi Statutæ, ex jure ejusdem speciali *Pölyzey-Ordnung libr. 5. tit. 7. art. 1.* ubi blasphemæ pro varietate circumstantiarum aut pecuniariâ, aut corporali, & si enormes Blasphemæ sint, amputatione linguæ, aut capitis pœnâ plecti possunt. Wiestner *hic n. 10.*

22 Qui sine respectu ad DEUM, & Sacramenta, ex mala consuetudine, vel ex subitanea ira, indignatione contra hominem, vel jumentum erumpunt in voces *Gotts= sacrament, Gotts= tausend= und= million= sacrament &c.* & non quidem rei erunt Blasphemæ saltem formalis, rei tamen fient de indignè pronuntiato Divinò nomine contra secundum Præceptum Decalogi. Engl n. 2. Et hinc pœnæ Blasphemorum ordinarias non incurrunt, bene tamen extraordinarias, quæ in Bavaria nostra per Judices magis timentes DEUM imponitur, juxta dispositionem Statutorum Bavariæ *tit. 7. cit. art. 2.* Reifensstuel n. 26.

23 Quæritur 8. quis sit Judex com-

petens respectu criminis Blasphemæ? R. cum distinctione: Vel enim ista Hæreticalis, i. e. conjuncta cum expressa Hæresi est, vel non. Si primum, cognitio de illo ad Judicem Ecclesiasticum pertinet, prout constat ex dictis *Tu. 7. à n. 175.* & tradunt Farin. *prax. crim. q. 20. n. 39.* Barbof. *de Offic. Episc. alleg. 51. n. 93.* & in *c. fin. h. tit. n. 6.* Wiestner *hic n. 11.*

Si secundum, est mixti fori. Abb. in *24. c. fin. h. tit. n. 9.* Sanch. *l. 2. mor. c. 32. n. 37.* Farin. *q. 20. cit. n. 39.* Marta *de Jurisd. p. 2. c. 13. n. 11.* Barbof. *alleg. cit. n. 93.* & in *c. fin. n. 6.* Gonzal. *ibid. n. 7.* Pirhing *hic n. 14.* Wiestner n. 12. Reifensstuel n. 28. & sumitur ex *c. fin. cit. ibi.* Per Episcopum suum pœnæ subdatur, --- & per temporalem præterea potestatem coactione, si necesse fuerit, Episcopi Diocesis adhibita --- mulctetur.

Ex quo sequitur, in crimine Blasphemæ non Hæreticalis contra reum Laicum esse locum præventioni, ita tamen, ut, si unus Judex v. g. Ecclesiasticus Blasphemum punivit, per hoc non impediat Judex Sæcularis, quin eundem etiam ipse in suo foro punire valeat, si prior minorem committit reo pœnam imposuerit. Farin. n. 39. cit. Barbof. *alleg. cit. n. 95.* Pirhing n. 14. Wiestner n. 12.

Imò etiam Blasphemiam Hæreticalem, consuetudine in his partibus passim vigente. Judices Sæculares judicare, & punire consueverunt: idque, ut appareat, ideo, quia etiam Hæreticalis ordinariè potius ex mente blasphema, quam Hæreticali, & ex errore intellectus profecta præsumitur. Reifensstuel n. 29.

TITULUS XXVII.

De Clerico Excommunicato, Deposito, vel interdicto ministrante.

S U M M A R I U M.

1. Pœna Clerici depositi ministrantis in Ordine, vel Officio sibi prohibito.
2. &c. Pœna ministrantis in Censura Ecclesiastica.
5. &c. Requisita, ut Irregularitas ab hoc incurratur.
11. &c. Cause ab Irregularitate hac excusantes.
16. &c. An Irregularitatem incurrat etiam Excommunicatus non vitandus ministrans in Ordine?
21. &c. An Sacerdos Excommunicatus, suspensus &c. Sacramentaliter absolvens?

24. &c. Quando per administrationem invalidam Sacramentorum Excommunicatus incurrat Irregularitatem?
27. &c. An Irregularitatem incurrat Sacerdos Excommunicatus, quando non conficit Sacramentum, sed tantum aliquo modo ad illud concurrat?
32. &c. An exercens actum proprium Ordinis minoris?
36. &c. An qui dubitat, num verè Excommunicatus sit?
41. &c. An irretitus Excommunicatione solam minore?

VEnatio, Percussio, Maledicentia Delicta sunt, quæ Clericos præ Laicis dedecent: ab his transmissa ad ea, quæ Clericis sunt magis propria. Talis est temeraria susceptio, & usus SS. Ordinum: quod primò fit, quando in iisdem Clericus ministrat, qui ab Ordine est depositus, vel irretitus aliquâ Censurâ Ecclesiasticâ, per quam usus Ordinis ipsi prohibetur.

1. Queritur 1. quæ sit poena Clerici depositi ministrantis, & exercentis actum Ordinis, vel Officii sibi prohibiti? R. Clericus depositus, sive verbaliter degradatus, i. e. perpetuò remotus ab Ordinibus, & Gradibus Ecclesiasticis propter crimen, si celebret, vel actum Ordinis, aut Officii, à quo est depositus, exerceat, vel in eo ministrat, excommunicari debet, prout statutum est *c. si quis Episcopus 1. & c. seq. b. tit. Host. in c. 1. cit. V. abscondatur, Abb. n. 1. not. 2. Barbof. n. 1. Gonzal. n. 3. Pirhing hic n. 1. Trib. seqq. König ibid. n. 2.* Et si sit incorrigibilis, exilio mulsetur *c. si quis 2. b. tit. Wagner- eck ibid. in Summ.* Præcederetamen debet monitio, ut volunt Alex. de Nevo in Gloss. ad Abb. ad *c. sacro 48. de sent. Excomm. lit. B. Vivian, in c. 1. b. tit. pr. & in c. 2. eod. pr. Wagner- eck ibid. not. 1. Vallens. hic v. si quis, Pirhing ibid. n. 1. quod sumunt ex *c. sacro cit. & c. si quis 2. b. tit. ibi, Et postea ab Episcopo suo correptus &c.**

2. Queritur 2. quæ sit poena Clerici, qui Censurâ Ecclesiasticâ insuper habitâ, se SS. Ministeriis ingerit, & exercet actum Ordinis proprium? R. ab hoc triplex incurritur poena. 1. Depositio ab Officio, & Beneficio Ecclesiastico, infligenda per sententiam, etiam monitione non præmissâ, ut ex *c. latores 4. b. tit. desumunt Gloss. in c. Clerici 3. V. moniti tit. eod. Abb. ibid. n. 2. Vivian, ibid. pr. & in c. 4. cit. pr. Wagner- eck in idem c. 4. in Exeg. Pirhing hic n. 5. Wiestner n. 2. Reiffenstuel n. 2. & 3.* Neque obstat *c. Clerici cit. ibi, Nisi moniti*; quia per hunc textum plus non indicatur, quàm quòd Episcopus possit, si velit, prius monere reum, eique, si monitus statim se emendet, ex gratia Dispensationis hanc Depositionis poenam remittere, Suar. *de Censur. D. 11. sect. 3. n. 2.*

2. Privatatio omnium Beneficiorum *c. fraternitati 6. b. tit. & quidem ipso Jure, prout colligitur ex *c. cit. V. spoliare, quod Sententia Jure lata executionem denotat. Tiraquell, in l. si unquam 8. V. teneantur n. 167. C. de revocand. Donat. Vivian, in c. 6. cit. pr. Barbof. ibid. n. 1. Wagner- eck in Exeg. c. ejusdem, Wiestner n. 2. Reiffenstuel n. 4.**

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

3. Irregularitas: quæ etiam ipso Jure, & facto incurritur, prout de suspensio constat ex *c. Apostolice 9. b. tit. c. cum æterni 1. v. fin. de Sent. & re judic. in 6. & c. cum medicinalis 1. v. fin. de Sent. Excomm. eod. de interdicto personaliter, & exercente hujusmodi actus in loco interdicto ex *c. is qui 18. §. fin. & c. is cui 20. de Sent. Excomm. in 6. de Excommunicato ex can. si quis Episcopus 6. & can. si q. caus. 11. q. 3. & c. fin. bic.**

4. Queritur 3. quid requiratur, ut Irregularitas incurrat à Censuratis? R. 1. requiritur, ut exercent actum Ordinis. Atque hinc 1. Irregularitatem non incurrit, qui in Censura existens suscipit Ordinem; nam hic tantum incurrit suspensionem *c. veniens 1. de eo, qui furtivè &c. 2. qui exercet actum Jurisdictionis, dispensando in Votis, & Juramentis ferendo Censuram, vel ab ea absolvendo, si hoc faciat sine stola. 3. qui assistit Matrimonio, modò illud non benedicat &c. Suar. de Censur. D. 11. sect. 3. n. 18. Fagnan. in c. si quis 1. b. tit. n. 15. Gonzal. ibid. n. 7. & in c. 4. n. 4. Pirhing hic n. 36. not. 2. Engl n. 2. Wiestner n. 6. Reiffenst. n. 6.*

2. Ut exercent actum proprium Ordinis. Ex quo sequitur, Irregulares non fieri Clericos Censuratos, si in Censura contentent Evangelium, vel Epistolam sine Stola, & manipulo; si baptizent privatim, & non solenniter &c. quia hi actus exerceri etiam à non ordinatis possunt, & quandoque solent, Sylv. *V. Irregularitas q. 13. dist. 1. & 4. Navar. Man. c. 27. n. 244. Gonzal. in c. 4. b. tit. n. 4. Engl hic n. 2. Pirhing n. 35. & 36. Wiestner n. 7. Reiffenstuel n. 6.*

3. Ut actus Ordinis proprius exerceatur temerè; quia Irregularitas ista Jure lata est in poenam culpæ gravis, & quidem cum temeritate conjuncta, prout constat ex *can. si quis Episcopus 6. caus. 11. q. 3. c. cum medicinalis 1. §. fin. de Sent. Excomm. in 6. c. latores 4. b. tit.* quibus textibus Irregularitatis poena fertur in eos, qui, cum Censurâ sint irretiti, audent, & præsumunt se Divinis ingerere. Suar. *D. 11. cit. sect. 3. n. 5. Gonzal. in c. 9. b. tit. n. 15. Pirhing n. 40. Reiffenst. n. 9.*

Atque hinc hujusmodi Ordinum exercitio Irregulares non fiunt 1. qui invincibiliter ignorant, se Censurâ aliquâ irretitos *c. Apostolice 9. b. tit.* quia Irregularitas hæc poena est, & oritur ex delicto, quod in sic ignorantem non cadit. Gloss. *in c. 9. cit. V. probabil.* Abb. *ibid. n. 3. Suar. n. 5. cit. Avil. p. 7. D. 9. sect. 2. dub. 1. §. hinc sequitur.* Vivian. *in c. 9. cit. pr. Barbof. ibid. n. 1. Gonzal. n. 7. Vallens. hic v. dixi.* Engl n. 3. Pirhing n. 40. & 41. Wiestner n. 12. Reiffenstuel n. 10.

B

Se-

- Secus est de illis, qui habent ignorantiam vincibilem, seu crassam, & supinam; nam ignorantia invincibilis, & probabilis, non verò crassa, & supina excusat à culpa. Vivian. in c. 9. cit. y. ceterum. Barbof. n. 1. Gonzal. n. 17. Vallenf. l. cit. Pirhing n. 41. coroll. 1. Reiffenstuel n. 10.
- 9 2. Irregularis non est, qui ejusmodi actum Ordinis exercet, exigente extrema necessitate, ut si Sacerdos excommunicatus absolva moribundum, non habentem copiam alterius Sacerdotis non censurati; quia in hoc articulo absolvere potest quilibet, ut constat ex Trid. sess. 14. c. 7. de Reform. Avil. l. cit. Engl n. 3. Pirhing n. 42. Wiestner n. 13. Reiffenstuel n. 11.
- 10 3. Non incurritur Irregularitas per Exercitium actuum Ordinis, si ex omissione eorum sequeretur grave scandalum, & infamia Sacerdotis, maxime, si ex tali omissione periculum foret, ne ex eo manifestaretur crimen illius occultum; quia Lex Ecclesiastica non videtur obligare casu, quo ejus observantia cum tali incommodo est conjuncta. Avil. l. cit. Engl n. 3. Pirhing n. 42. Wiestner n. 14. Reiffenstuel n. 12.
- 11 Quæritur 4. quænam aliæ causæ Censuratum, exercentem actum Ordinis ab Irregularitate propterea incurrenda excusent? R. 1. excusatur, si celebret talem actum ob gravem metum alterius gravis mali, dummodo metus iste non fuerit incusus in contemptum Censurarum, & Ecclesiæ, Engl hic n. 3.
- 12 2. Excusatur, quando sententia Censuræ est evidenter nulla, Avil. p. 7. D. 9. sect. 2. dub. 2. concl. ult. Pirhing hic n. 44. Reiffenstuel ibid. n. 13. Ratio est, quia universaliter loquendo non debet is poenam Canonicam sustinere, in cujus damnationem non est canonica lata sententia; & sicut hujusmodi Sententia Juris caret effectu, sic auctoritate, & nomine rei careat judicata, ut nec in opinione communi, aut vulgi labiis nomen habere mereatur judicata, ut dicitur Clem. 2. §. ut igitur prop. fin. de Sent. & rejudic. & concordat l. si se 4. §. condemnatum 6 ff. de re judic.
- 13 3. Si excommunicatus, suspensus, vel interdictus, post interpositam Appellationem à sententia Censuræ contra se lata, etiam illegitimam, quam tamen putat esse validam, ante absolutionem à Censura exercent actum proprium Ordinis, à quo est suspensus, vel interdictus, vel etiam alium, si sit excommunicatus, Avil. dub. 1. §. præterea notandum. Pirhing n. 43. Si tamen sciret, vel scire posset, ac deberet, appellationem suam non esse justam, non esset immunis à peccato in foro animæ, & coram DEO. Pirhing l. cit.
4. Excusat ab Irregularitate parvitas materia: qualis esset Benedictio Episcopalis, facta ab Episcopo suspensio, excommunicato &c. sine solemnitate in itinere. Suar. D. 12. de Censur. sect. 2. n. 21. Bonnac. q. 3. p. 9. n. 3. Gonzal. in c. 4. b. tit. n. 4. Item si Clericus suspensus, privatim Horas recitans, dicat Dominus vobiscum. Suar. l. cit. n. 13. Gonzal. n. 4. cit. Vel si quis faciat Officium Hebdomadarii in Choro more Monialium. Leander de regul. tr. 2. D. 20. q. 19. & D. 21. q. 15. Gonzal. l. cit.
5. Denique univèrsim loquendo, quoties intervenit quædam causa sufficienter excusans à peccato mortali, potest actus Ordinis proprius exerceri etiam ab excommunicato, suspensio, vel interdicto, absque nota Irregularitatis; quia hæc gravem culpam in Censuram violante supponit, cum sit valde gravis poena. Suar. l. cit. sect. 3. n. 5. Pirhing n. 42.
- Quæritur 5. an per exercitium actuum Ordinis Irregulares efficiantur etiam Excommunicati tolerati, seu non vitandi? Ratio dubitandi oritur ex Const. Extrav. Martini V. edita in Concil. Constant. incipit Ad evitanda, ubi communicatio cum non excommunicatis Excommunicatis toleratis permittitur. Sed quia Constitutio hæc non Excommunicatis, sed fidelibus ab ea Censura liberis favorem conferre voluit, ideo
- Dicendum, Excommunicatos, etiam toleratos, si temere, & non rogati exercitium Ordinum suorum se ingesserint, Irregularitatem incurere; quia Jura, quibus hæc irrogata est, generaliter loquuntur de Excommunicatis &c. non distinguendo inter toleratos, & non toleratos, Covar. in c. alma p. 1. §. 2. n. 11. Suar. D. 11. de Censur. sect. 4. n. 29. Zoesl. hic n. 6. Pirhing n. 34. not. 2. Wiestner n. 16. Reiffenstuel n. 19.
- Dixi, si temere, & non rogati se ingesserint. Aliud est, si hujusmodi actuum exercitium alius ab hujusmodi Excommunicato petat; tunc enim, ut monet Suar. l. cit. n. 11. videtur servanda hæc Regula generalis, ut si ad favorem petentis pertineat, seu moraliter sit necessarium, aut valde utile, ut Excommunicatus hujus actum exercent, id possit facere sine peccato; si verò non ita pertineat ad favorem petentis, non possit. Ex quo sequitur, in primo Regulæ casu ipsum Irregularitatem non incurere, incurere autem in secundo; quia ad Irregularitatem hanc incurrendam, ut n. 15. notavi, requiritur, & sufficit culpa gravis, quæ adest in secundo, abest in primo casu.
- In hoc tamen primo casu Regulæ, ut licitè, & conf. absque periculo Irregularitatis

tis ab Excommunicato tolerato administratur Sacramentum hoc petenti, requiritur 1. ut hic & nunc non possit prius absolutionem Censuræ petere: nam si possit facile, sine dubio ad id tenetur; quia per se illi prohibitum est Sacramentum cum Censura ministrare; & tunc nulla jam necessitas imminet, cum possit prius à Censura se liberare. Dixi autem *hic & nunc*; quia non obstat, quòd antea potuerit, & fuerit in mora: sed attendenda est præfens opportunitas. Suar. n. 11. cit.

2. Ut non possit per alium non excommunicatum satisfacere petenti: nam si hoc possit, tenetur abstinere ab exercitio Ordinis; quia jam nihil refert petentis, quòd ipsemet potius à quo petit, quàm alius loco illius Sacramentum administret. Suar. n. 11. cit.

3. Ut, si is, à quo petitur, ex officio non teneatur ministrare Sacramenta, qui hoc petit, cum aliqua necessitate ab ipso petat. Suar. l. cit. n. 12. quia aliàs illicitè petit. sufficit autem, ut idem Suar. l. cit. monet, communis aliqua necessitas, quæ ante *Extrav. cit.* non suffecisset.

Quæritur 6. an Irregularitatem incurrat Sacerdos excommunicatus, suspensus &c. Sacramentaliter absolvens? *3.* distinguendo inter Excommunicatum &c. toleratum, & non toleratum. Si toleratus sit, juxta dicta à n. 16. incurrit, vel non incurrit Irregularitatem; quia potest aliquando licitè administrare hoc Sacramentum, aliquando illicitè.

De Excommunicato non tolerato ratio dubitandi est; quia hic, utpote jurisdictione privatus, non absolvit validè: ac proinde in Ordine verè non ministrat, sed solum ministrare attentat. atqui non præstat impedimentum, quòd de Jure non sortitur effectum juxta Reg. non præstat 52. in 6. Conf. quia ad contrahendam Irregularitatem, cum aliud Jure expressum non est, exiguntur actus in sua specie consummati, ac perfecti, ut patet ex homicidio, & mutilatione, quæ si attentata duntaxat sint, Irregularitatem non inducunt.

Sed dicendum, à Censurato sic absolvente Irregularitatem incurri. Ita Suar. D. 11. de Censur. sect. 3. n. 15. Palao tr. 29. D. 2. p. 8. n. 12. Zoel. bicn. 14. Wiestnec. 9. Reiffenstuel n. 7. Ratio est, quia talis actum Ordinis Sacerdotalis proprium exercet, quantum est in se, cum habeat Ordinem, & idem faciat, quòd alius, qui absolvit invalidè pœnitentem rite dispositum, & qui baptizatum legitime invalidè rebaptizat, qui tamen ex communi DD. incurrit Irregularitatem.

Ad Rationem dubitandi, talis absolutio, licet non sortiat effectum liberationis à peccato, sortitur tamen effectum
R. P. Schmalzgruber L. V. T. 11.

attentationis, & exercitii Ordinis. Sufficit autem ad effectum Irregularitatis inducendæ attentatio, ut patet in rebaptizante. Ad Conf. ejusmodi absolutio in ratione exercitii actus Ordinis, sub Irregularitate prohibiti, est perfecta, & consummata.

Quæritur 7. quando per invalidam²⁴ administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, vel aliorum, Excommunicatus incurrat Irregularitatem? *3.* distinguendo; nam dupliciter Sacramentum tale potest esse invalidum: uno, si talis administratio fuerit invalida ex defectu Ordinis, vel intentionis requisitæ; altero, si invalida fuerit ratione materiæ, aut subjecti, veluti si Clericus excommunicatus solenniter baptizat infantem non debitam materiâ, vel baptizatum rebaptizat, aut si Sacramentaliter absolvat hominem, qui revera carebat dolore necessario ad valorem Sacramenti.

Si primo modo, scilicet ex defectu²⁵ intentionis, invalidum sit Sacramentum, probabilissimum judicat Suar. D. 11. de Censur. sect. 3. n. 14. ita administrantem non incurere Irregularitatem; quia actio illa, etiam ut procedit à tali operante, ex intentione ejus non est usus Ordinis, sed fictio illius. Et confirmari potest à simili de Hæretico purè exteriori absque interiori infidelitate; nam ille non incurrit Censuras, vel alias pœnas, ipso Jure in Hæreticos latus: Excipitur, nisi aliunde admisceatur alia communicatio in Divinis Officiis, propter quam Irregularitas contrahi possit, ut si quis faciat Sacrum servando ritum Ecclesiasticum, solumque in consecratione sit fictus, non intendendo verum Sacramentum conficere, aut Sacrificium offerre: nam talis nihilominus Irregularis erit; quia illius officii administratio in Excommunicatione facta, etiam sine Sacramento, ad Irregularitatem incurrendam sufficit. Suar. n. 14. cit.

Si secundo modo, & ex defectu²⁶ materiæ, vel subjecti invalidum sit Sacramentum, id hoc modo administrans Excommunicatus &c. Irregularitatem incurrit; quia verè violat Censuram per exercitium Ordinis. Suar. l. cit. n. 15. Gonz. in c. 4. h. tit. n. 4. Proceditque sive ita administrans sciat, materiâ, aut subjectum non esse aptum, sive ex aliquo errore Juris, aut facti hoc ignoret, ut si attentet consecrare in aqua, vel aceto, aut pane hordeaceo, existimans se habere panem, & vinum usuale; aut si Episcopus Excommunicatus ordinet feminam, existimans se ordinare virum. Nam quavis casus isti sint magis extraordinarii tamen in iisdem procedit ratio data; quia scilicet, quantum est ex parte operantis, ille fuit usus activus potestatis Ordinis, & hic est, qui prohibetur sub pœna Irregularitatis,
B 2 tis,

tis, five in re sequatur effectus, five non. Suar. l. cit. n. 16.

27 Quæritur 8. an Irregularitatem incurrat Sacerdos Excommunicatus etiam, qui non conficit ipsum Sacramentum, sed tantum concurrat aliquo modo ad illud? Dubium hoc locum habet in tribus Sacramentis, scilicet in Matrimonio; in Eucharistia, quando aliquis eam non conficit, sed distribuit; & in Baptismo, quando aliquis solenniter illum confert quoad ceremonias, non verò quoad substantiam, quia supponitur privatim collatus validè.

28 Quoad 1. punctum Sacerdos ad Matrimonium concurrere potest dupliciter: unus modus est, quem requirit *Trid.* ad substantiam matrimonii, dum requirit, ut fiat coram Parocho, & testibus; alter, qui pertinet ad solennitatem illius accidentalem, & consistit in solenni Benedictione novorum conjugum. Primo modo concurrere non fit Irregularis; quia ad illum actum ex vi *Trid.* non est necessarius aliquis actus Ordinis, cum valeat Matrimonium contractum coram Parocho etiam non Sacerdote. Suar. D. 11. de Censur. sect. 3. n. 18. Altero modo concurrere Irregularis efficitur; quia actio illa ex institutione Ecclesie necessariò requirit Ordinem Sacerdotalem, & exercitium illius, cum publicum, & solenne sit, continet materiam gravem, & sufficientem ad peccatum mortale. Suar. n. 19.

29 Quoad 2. de Eucharistie distributione, iterum dicendum, per hoc Irregularitatem incurri, si distributio talis fiat extra necessitatem à Sacerdote Excommunicato, vel à Diacono, saltem si hoc faciat ex Parochi commissione; Suar. n. 21. Ratio est, quia est gravissimum ministerium, & divinum ac proprium Sacerdotis ratione sui Ordinis. Accedit, quia Sacerdoti excommunicato non solum sub pena Irregularitatis prohibetur, ne Sacramenta conficiat, sed etiam, ne illa ministret, ut minister ex officio, sed hæc dispensatio est ministratio Sacramenti ex officio: ergo &c. Dixi, saltem si hoc faciat ex Parochi commissione; nam si hoc faciat absque commissione Parochi, aliqui illum ab Irregularitate, per textum *Rubr. presentis* latè, excusant, quòd putent ejusmodi distributionem, à Diacono sine licentia factam, non esse actum Ordinis Diaconatus, utpote quem tali modo non exercet ut publicus Minister ex officio deputatus. Sed esto, non possit actum hunc exercere licitè sine commissione Parochi, hujus tamen commissionis defectus magis ad defectum Jurisdictionis pertinet, qui non facit, ut evitetur Irregularitas, prout patet in Episcopo excommunicato, conferente Ordines in alieno Episcopatu sine licentia Diocese-

fani. Hinc Suar. l. cit. n. 22, putat, talem Diaconum adhuc incursum Irregularitatem.

Quoad 3. de Baptismi ceremoniis, videri posset, Irregularitatem propterea non incurri; quia plus est substantiam Baptismi sine ceremoniis dare, quàm ceremonias sine substantia, sed primum non sufficit ad Irregularitatem incurramdam, ut dixi n. 6. ergo nec secundum sufficit, sed dicendum incurri Irregularitatem; quia illud ministerium Sacrum est, & ceremonia satis gravis in Ecclesia, solique Sacerdoti ex officio commissa, & ad summum potest Diacono delegari, est ergo actus Ordinis in materia gravi: in quo differt à privata administratione Baptismi secundum substantiam; nam illa non est actus Ordinis, etiamsi contingat ab homine ordinato fieri. Suar. n. 20.

Cæterum quoad Irregularitatis hujus incursum ob exercitium Ordinum in Censuram factum, adverte, ut ea incuratur, necesse esse, ut exercitium Ordinis sit prohibitum quoad substantiam; nam si prohibitum duntaxat quoad modum extrinsecum, & accidentalem, ut quando Episcopus, suspensus à Pontificalibus, Missam celebrat cum eo apparatu, per tale exercitium non fit Irregularis. Zerol. *prax. Episc. V. Irregularitas n. 18.* Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 4. Gonzal. in c. 4. b. tit. n. 4.

Quæritur 9. an Irregularitatem incurrat, qui exercet actum proprium Ordinis Minoris? Negant Sylv. *V. Irregularitas q. 27.* Covar. in c. alma p. 1. §. 6. n. 9. y. decimo, Wagnerck in c. 2. not. 2. §. 3. & alii, præsertim TT. juxta quos ad incurramdam ex hoc capite Irregularitatem requiritur, ut Clericus Censuratus exerceat actum proprium alicujus Ordinis Majoris. Rationem dant; quia minorum Ordinum functiones hodie non sunt actus proprii Ordinis Clericalis, cum ad eas obediendas ex recepta consuetudine passim admittantur, & deputentur Laici.

Sed verisimilius est, incurri Irregularitatem, si actum talem exerceat solenniter, & quasi ex officio proprio, h. e. eo modo, quo ab Ordinatis duntaxat solet. Ita Richard. in 4. dist. 18. art. 7. q. 5. Gabr. q. 2. art. 3. Host. in c. si quis 2. §. sed quidquid b. tit. Joan. Andr. *ibid.* n. 2. Abb. n. 4. Ugolin. de Censur. tab. 1. c. 14. §. 1. Suar. de Censur. D. 11. sect. 3. n. 1. Alterius *simil. tr. l. 2. D. 1. c. 1.* Barbos. in c. 2. cit. n. 3. Fagnan. n. 7. *ibid.* Gonzal. in c. eod. n. 2. Pirhing *hic n. 37.* §. 39. Wiestner n. 11.

Ratio est, quia Jura generaliter, & nulla facta distinctione, inter actus Ordinum Majorum, aut Minorum, pronuntiant,

tiant, Irregularitatem incurri ab eo, qui, cum Censuratus sit, exercet actum proprium sui Ordinis, ut patet ex *c. si quis cit. c. cum medicinalis 1. §. fin. & c. is cui 20. de sent. Excomm. in 6. c. quia circa 22. de Privil. & apertius ex Const. Sixti V. incipit Sanctum. edita contra male & Simoniaci promotos Non. Jan. 1582. ubi statuitur, etiam Clericos primæ Tonsuræ, ac Minorum Ordinum suspensos, si in eis ministrare præsumserint, Irregulares effici.*

35 Addit tamen Pirhing n. 39. cit. secundum præsentem Ecclesiæ usum rarò incurri hanc Irregularitatem; quia vix aliquid, aut aliquo modo quoad hæc ministeria faciunt Clerici in Minoribus constituti, quod Laici non consueverunt facere. Possunt tamen contingere casus, in quibus hæc Irregularitas contrahatur, ut si v. g. alicubi Acolythus in Missa Solenni munus suum non exerceat, nisi in peculiaribus vestibus Sacris ad hoc munus deputatis, & non nisi ij, qui talem Ordinem susceperunt; vel si Exorcista excommunicatus, vel aliâ Censurâ ligatus, veste Sacra indutus, Exorcismos Ecclesiæ super Energumenos recitaret: tunc enim uteretur potestate sibi in Ordine data, adeoque fieret Irregularis; & sic de aliis.

At Rationem dubitandi dicendum, id procedere tantum de casu quando tales Clerici non ministrant, solenniter, & quasi ex officio proprio.

36 Quæritur 10. an Irregularitatem incurrat, qui dubitat, an sit verè excommunicatus, & stante hoc dubio, exercet actum Ordinis proprium? R. distinguendo. Vel enim talis certò scit, se à Judice Ecclesiastico excommunicatum fuisse, & solum dubitat, num Excommunicatio hujusmodi legitime lata, & valida sit, necne: vel contra dubitat etiam, an defacto excommunicatus sit, eò quòd id audiat quidem per famam, aut rumorem, dubitans tamen, an rumor ille sit verus; & idem est, si dubitat, utrum commiserit vera actum, v. g. homicidium, cui aliàs Excommunicatio certò annexa est.

37 Si prius, talis debet pro excommunicato se habere, ac propterea etiam sub poena Irregularitatis ab omni exercitio Ordinis abstinere. Ita communis, & certa sententia teste Reiffenstuel hic n. 115. arg. c. illud 5. h. tit. & c. per tuas 40. de Sent. Excomm. cum concordantiis, ubi habetur, etiam casu, quo per Episcopum injustè lata est sententia Excommunicationis, eam servari debere, donec Excommunicatus absolvatur, ergo multo magis in dubio. Hinc can. sententia 1. caus. 11. q. 3. dicitur, quod sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda sit. Neque juvat, si contra eam jam latam appelleretur;

bene tamen, si appelleretur contra minas illius ferendæ arg. c. per tuas cit. & c. pastoralis 53. 6. præterea 40. de sent. & re judic. prout amplius dictum est Libr. 2. tit. 22. de appell. n. 109. & trib. seqq.

Si posterius, satis conveniunt DD. 38 eum pro Irregulari non habendum, si postea constet, ipsum excommunicatum non fuisse. Dubium tantum est, quando ita dubitans revera est excommunicatus? quo casu Irregularitatem fore existimant Sylv. V. Irregularitas n. 15. dist. 5. & Ugolin. de Censur. tab. 1. c. 14. n. 12. fin. quod sumunt ex c. illud 5. h. tit. ubi Episcopus in dubio de sua Excommunicatione Divinis se ingerens, à poena Canonica per misericordiam liberatur, non obscuro indicio, quòd poenam istam contraxerit.

Sed verisimilius negatur, sic mini-39 strantem Irregularitatem incurrere, si debitam diligentiam adhibuit ad rei veritatem cognoscendam: secus si omisit; quia hanc omittens habet ignorantiam crassam & supinam, quæ scientiæ æquiparatur c. licet 1. de Const. in 6. Zoes hic n. 9. Engl n. 3. fin. Wiestner n. 15. Adde tamen, etiam priorem teneri abstinere ab exercitio Ordinum, donec ad cautelam absolvatur à Censura; nam tutior in hac re via est eligenda: & hinc factum Episcopi c. illud cit. improbavit Pontifex.

Ad textum c. cit. dico, ibi sermo-40 nem non esse de Irregularitate, sed de alia poena, videlicet suspensione, vel Depositione, per sententiam infligenda, ut patet ex ejusdem verbis, Et non duximus infligendam; nam Irregularitas non ab homine, sed à Jure infligitur.

Quæritur 11. an Irregularis officia-41 tur etiam is, qui, dum Excommunicatione minori irretitus est, celebrat? Quæstio hæc diu fuit controversa inter DD. ex ratione, quia etiam iste peccat graviter, & Censuram Ecclesiasticam violando, Clavium potestatem apertè contemnit, quæ ratio vel unica, vel præcipua est, ob quam in Censurarum violatores à Jure statuta est Irregularitatis poena.

Sed ab hoc nullam Irregularitatem-42 contrahi, meritò docent Suar. D. 11. de censur. sect. 3. n. 1. Leander de Irregul. D. 21. q. 1. Gibalin. simil. tr. c. 5. q. 2. confect. 1. n. 7. Vivian. in c. fin. b. tit. pr. Barbof. ibid. n. 1. & 4. Gonzal. n. 11. Vallenf. hic v. addidi, Pirhing n. 45. Wiestner n. 5. & 6. & aperte decisum est in c. fin. cit. ubi supponitur, Irregularitatem solum contrahi ab eo, qui id facere præsumit in Excommunicatione majori; & meritò; nam majori Excommunicatione irretitus Clericus pro toto tempore, quo in ea persistit, suspensus est à propriis Ordinibus, scilicet ab administratio-

nie Divinorum Officiorum; suspensus autem celebrare præsumens Irregularis evadit, juxta dicta n. 4. Contra ligato Excommunicatione minori solum interdicta est Sacramentorum susceptio, non verò Ordinum exercitium; conf. hos exercens Censuram non violat. *Conf.* quia nullo Jure expressum est, quòd ligatus Excommunicatione minori per hoc, quòd Divina celebret, Irregularitatem incurrat. Irregularitas autem non incurritur, nisi in casibus Jure expressis.

43 *Ad Rationem dubitandi* ita ligatus peccat graviter, dum insuper habità eà Censurà Excommunicationis minoris, Sacramentum celebrando recipit, non verò

quatenus exercet actum Ordinis Sacro-
talis; nam hunc exercens, si cum perceptio-
ne Sacramenti conjunctus non sit, juxta
Navar. *Man. c. 27. n. 24.* Ugolin. *de cen-
sur. tab. 3. c. 6. §. 2.* Henric. *l. 13. c. 3.
§. 1.* Suar. *D. 24. sect. 2. n. 12.* Bonac.
D. 2. de Excomm. q. 3. n. 4. nullam etiam
venialem culpam admittit. Juxta Anchar.
in c. fin. cit. Host. Summ. hic n. 2. Sot. *in
4. dist. 22. q. 2. art. 3.* Covar. *in c. alma
p. 1. §. 2. n. 2.* Avil. *p. 2. de Censur. c. 6.
D. 12. dub. 3.* Palao *tr. 29. D. 2. p. 21.
n. 10.* Barbof *in c. fin. cit. n. 6.* Pirhing
hic n. 54. culpam quidem committit, sed
venialera duntaxat.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

S U M M A R I U M.

1. Graviter peccat ministrans in Ordine non suscepto.
2. &c. Hujus pœna est Excommunicatio, suspensio, & Irregularitas.
6. &c. Requisita ad incurrendam propterea Irregularitatem.
10. &c. An eam incurrat exercens actum Ordinis sine tentatione cum exercendi?

13. &c. An ministrans in Ordine defectivo suscepto?
15. &c. Vel in ordine minore?
18. &c. An Irregularis fiat Sacerdos simplex conferens Ordines, consecrans Ecclesias &c.
21. &c. An eam incurrat Laicus solemniter baptizans, Missas legens &c.
26. &c. Quis dispensare possit in ista Irregularitate?

1 **U**T usu Ordinis suscepti, à quo suspensus est, ita, & non minus delinquit Clericus usu Ordinis non suscepti, ut si in Minoribus duntaxat constitutus cum Dalmatica, & Manipulo solemniter cantaret Epistolam, vel Diaconus celebraret Missam, baptizaret solemniter, benediceret nuptias &c.

2 **Q**uæritur 1. quæ sit pœna Clerici ministrans in Ordine non suscepto? *¶* triplex à Jure statuitur. 1. Excommunicatio *c. si quis 1. h. tit.* sed ferendæ tantum sententiæ, prout ex verbo *Abjiciatur*, quod ministerium hominis indicat, colligit Suar. *de Censur. D. 42. sect. 4. n. 2.* Barbof. *in c. 1. cit. n. 1.* Wagnerck *ibid. in Exeg. Pirhing hic n. 3.* Wiestner *n. 1.* Reiffenstuel *n. 5.*

3 **2.** Suspensio ad biennium, vel triennium ab exercitio Ordinis, non cujuscunque (nam dispositio *c. fin. h. tit.* ubi suspensio ista statuitur, pœnalis est, conf. ad Ordines non expressos non porrigenda) sed proximè, seu ultimò suscepti, infligenda Diacono, qui Missam celebrare præsumperit. Suar. *sect. 4. cit. n. 2. §. 4.* Avil. *p. 7. de Censur. D. 9. sect. 2. dub. 15. concl. 2.* Vivian. *in c. 2. hic pr.* Pirhing *hic*

n. 3. König *n. 2.* Wiestner *n. 2.* Reiffenstuel *n. 3. §. 4.*

3. Irregularitas, saltem partialis, 4 vi cujus ad superiores Ordines nequeat promoveri *c. si quis 1. & c. seq. h. tit.* quæ Irregularitas tum demum fit totalis, quando durante Suspensione biennali, vel triennali, ut dictum est, ad actus Ordinis, à quo ita suspensus est, exercendos temere se ingesserit. Suar. *n. 4. cit. fin.* Coninck *D. 18. dub. 6. concl. 1.* Barbof. *in c. fin. h. tit. n. 1.* Gonzal. *ibid. n. 1.* Vallens. *hic v. Diaconus, Engl. n. 1.* König *n. 2.* Wiestner *n. 3.* Reiffenstuel *n. 2.*

Easdem pœnas innovavit, & insuper 5 novas statuit post Gregorium XIII. & Sixtum V. Clemens VIII. *constit. incipit Et si alias 21. Bullar. tom. 3.* & Urbanus VIII. *constit. incipit Apostolatus 79. tom. 4.* qui decrevit pœnis à Clemente statutis procedi posse contra omnes five Laicos, five Clericos Sæculares, vel Regulares non promotos, præsumentes Missas celebrare, & Sacramentales Confessiones audire, dummodo vigesimum ætatis suæ annum compleverint. Matthæucc. *Offic. Eccl. c. 10. n. 4. §. Sacilegam*

Quæritur 2. quid requiratur, ut Ir-

regu-

regularitas incurratur per ministrationem in Ordine non suscepto? **1.** requiritur, ut, qui in Ordine non suscepto ministrat, sit capax Irregularitatis, ac proinde mas, & baptizatus; nam foemina, & mas non baptizatus hoc ipso, quod Jure Divino incapaces sint Ordinis, ut dictum est *Libr. 1. Tit. 11. n. 21.* etiam incapaces sunt Irregularitatis: & hinc si exercent actum Ordinis, aliter puniendi sunt. Angel. *V. Irregularitas n. 31.* Rosell. *V. eod. n. 2.* Amill. *n. 65.* Henriq. *l. 2. c. 29. n. 5.* Suar. *D. 42. de Censur. sect. 4. n. 20.* Sayr. *de censur. l. 7. c. 10. n. 6.* Bonacin. *de Irregul. D. 3. q. 3. p. 6. n. 1.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 3.* Dian. *p. 4. tr. 2. resolut. 77. §. 91.* Coinejus *p. 3. tr. de Irreg. D. 7. dub. 291.* Gibalin. *de Irreg. c. 5. consuet. 1.* Barbol. *in c. 1. b. tit. n. 5.* Gonzal. *ibid. n. 2.* Pirhing *hic n. 8.* Wiestner *n. 4. ibid.*

2. Ut exerceat actum Ordinis proprium, & eo modo, quo vi Ordinis solet, & non nisi ab ordinatis licite exerceri potest: quod contingeret, si simplex Sacerdos conferret Ordines, Diaconus celebraret Missam, aut Solenniter baptizaret sine licentia Episcopi, vel Presbyterii, subdiaconus cantaret cum Stola Evangelium, & in Minoribus constitutus cum Manipulo Epistolam &c. Sylv. *V. Irregularitas q. 12. limit. 6.* Navar. *Man. c. 27. n. 242.* Avil. *p. 7. de Censur. D. 9. sect. 2. dub. 13. limit. 5.* Suar. *sect. 4. cit. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 18. n. 2.* Vivian. *in c. 1. b. tit. fin.* Wagnereck *in Exeg. ibid.* Barbol. *n. 2.* Pirhing *n. 5.* König *n. 2.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 6.* Unde Irregularitatem non incurrit, qui in Officio solenni canit Epistolam, vel Evangelium, etiam Dalmaticam indutus, modo Manipulum, & Stolam non deferat, cum proprium insigne Diaconi sit Stola, & Subdiaconi Manipulus. König *n. 2. cit.*

3. Ut id faciat temere per textum *c. si quis 1. b. tit. ibi.* Propter temeritatem, ac proinde scienter; quia Irregularitas ista poenalis est, & supponit actum culpabilem. Avil. *dub. 13. cit.* Suar. *n. 16.* Pirhing *n. 5.* Wiestner *n. 5.* Reiffenstuel *n. 8.* Hinc, qui ex ignorantia invincibili probabiliter putat, se Ordinem, cujus actum exercet, habere, Irregularitatem non incurrit; quia tali casu culpa abest. Imò Avil. *l. cit.* putat, non incurri hanc Irregularitatem etiam ab eo, qui ex crassa ignorantia ministrat in Ordine, quem non habet; quia est valde gravis poena, ideoque non incurritur, nisi à sciente, & temerariè præsumente, sive per contemptum ministrante.

4. Ut actio, sive exercitium Ordinis, saltem externum, fiat serio; nam si id joco tantum, sive per modum ludicræ, aut scenicæ actionis facit, non censetur in

Ordine ministrare, vel illum exercere, sed potius exercitium, vel ministerium ejus representare: quod intercedente honesta causa, & secluso rerum Divinarum contemptu licitum est, ac proinde nequit Irregularitati subijci. Sylv. *V. Irregularitas q. 12. limit. 2.* Navar. *Man. c. 27. n. 251.* Sot. *in 4. dist. 26. p. 1. art. 3.* Henriquez *l. 14. c. 6. n. 1.* Sayr. *l. 7. Theaur. c. 10. n. 2.* Suar. *sect. 4. cit. n. 16.* Bonac. *p. 6. cit. n. 1.* Palao *n. 2.* Pirhing *n. 6.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 7.*

Quæritur **3.** an, ut incurratur hæc Irregularitas, etiam requiratur, ut actus Ordinis exerceatur cum intentione eundem exercendi? Affirmant Tabien. *V. Irregularitas 4. §. 3.* Navar. *Man. c. 27. n. 242.* Ugolin. *de Censur. c. 37. n. 10.* Avil. *p. 7. D. 9. sect. 2. dub. 13. §. quinto.* Hurtad. *D. 2. difficult. 2. n. 5.* Bonacin. *de Irregul. D. 7. q. 3. p. 6. n. 2.* Moventur **1.** quia in *c. si quis 1. b. tit.* statuitur hæc Irregularitas, eo quod non ordinatus solenniter baptizaverit, vel aliud officium Ordini annexum exercuerit, sed qui sine intentione Ordinem exercendi actum Ordinis ponit, revera non ponit actum Ordinis, utpote ad quem vel maximè requiritur intentio faciendi id, quod facit Ecclesia, ergo &c. **2.** ad incurrendam hanc Irregularitatem opus esse videtur, ut Officium Ordinis exerceat, si non verè, saltem quantum est ex se, sed qui intentionem non habet illud Officium exercendi, illud, quantum est ex se, non exercet, cum deficiat in intentione, ergo &c. **3.** confirmant exemplo rebaptizantis exterius sine intentione, qui ex communi Irregularitatem impositam adversus rebaptizantes non incurrit; quia, quantum est ex se, non rebaptizavit.

Sed verior est negativa, quam etiam defendunt Suar. *de Censur. D. 42. sect. 4. n. 18.* Coninck *D. 18. dub. 6. n. 47.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 1.* Palao *tr. 29. D. 6. p. 18. n. 8.* Pirhing *hic n. 6.* Wiestner *n. 6.* Reiffenstuel *n. 7.* Ratio est, quia aliàs Irregularitas hæc à non ordinatis, ministrantibus in Ordine non suscepto, facile eluderetur, dicendo, se fidei duntaxat, & sine intentione actum Ordinis exercendi ministrasse: imò Irregularitate hæc nemo afficeretur, nisi Hæreticus aut crassissima laborans ignorantia, cum nemo alius Officium Ordinis, quod sibi scit impossibile, exercendi voluntatem habere possit.

Ex quo patet ad **1.** argumentum **12.** contrarium; nam SS. Canones punire intenderunt actum externum serio exercitum. Ad **2.** ille Minister, qui serio ponit actum externum Ordinis, quem non habet, jam facit, quantum ex parte sua facere potest ad officium Sacrum exercendum

dum; quia aliam habere intentionem est ei ferè impossibile, ut probatum est. *Ad 3.* negatur paritas; nam illa Irregularitas imposita fuit Hæreticis rebaptizantibus, ac proinde supponitur, illos habere intentionem rebaptizandi, & iudicare, dari posse rebaptizationem. at hæc Irregularitas, de qua in præfenti, instituta est ad puniendos Sacrilegos, qui cum ordinati non sint, Ordinis officium usurpant.

13 Quæritur 4. an Irregularitatem istam incurrat, qui ministrat in Ordine, quem ipse quidem suscepit, sed defectuosè, quòd in collatione illius omisum sit aliquid, quòd aliàs poni debebat? *1.* distinguendo: Vel enim omisum est aliquid accidentale tantum, quod certum est, non esse de substantia v. g. Unctio aliqua; vel contra omisum est aliquid substantiale. *Si primum*, ministrans in Ordine sic suscepto, antequam suppleatur omisum, peccat quidem graviter (nisi omisum esset parva ceremonia, quæ necessariò supplenda non est) per hanc tamen culpam, etsi gravem, non incurrit Irregularitatem; quia ea nullo Jure expressa est, quamvis prohibeatur interim ministrare, donec defectus ille suppleatur. Angel. *V. Irregularitas n. 39.* Sylv. *V. eod. q. 12. limit. 5.* Suar. *D. 42. de Censur. sect. 4. n. 12.*

14 *Si secundum*, interest, an collatio per omissionem ejusmodi fuerit omnino invalida, an verò remanserit valida, eò quòd Ordinatio substantialiter dividua sit, prout est Ordinatio Sacerdotis, in qua per traditionem patenæ cum Hostia, & calicis cum vino confertur potestas consecrandi Corpus, & sanguinem Christi; & per impositionem manuum Episcopi datur potestas absolvendi. *Si prius*, exercens Ordinem ita susceptum, nisi ipsum excuset ignorantia defectus, Irregularitatem incurrit, ut communis habet sententia, teste Suar. *l. cit. n. 11.* *Si posterius*, ordinatus cum traditione patenæ cum Hostia, & Calicis cum vino, omisâ impositione manuum, Irregularis quidem efficitur absolvendo à peccatis; quia revera ministrat in Ordine, quem non habet: probabilis tamen, ut putat Suar. *n. 13.* non fit Irregularis, si missam celebret; quia defectus impositionis manuum respectu talis ministerii accidentarius est. Neque obstat *e. fin. b. tit.* ubi Irregularis esse dicitur, qui sine manuum impositione Missas celebrare ausus est; quia per manuum impositionem ibi significatur tota Ordinatio Sacerdotalis, ut ex contextu constat, & notavit Gloss. *ibid.* Suar. *n. 11. § 13.*

15 Quæritur 5. an ad Irregularitatem hanc incurrendam necessarium sit, ut ministraret aliquis in Ordine Sacro? Affirmant aliqui cum Angel. *V. Irregularitas n.*

38. Sylv. *V. eod. q. 15.* Avil. *p. 7. de Censur. D. 9. sect. 2. dub. 15.* quia in Minoribus ministrare etiam Laici solent, & licitè possunt.

Sed adhibenda est distinctio infirma 16 *ta Tit. præc. n. 33.* Vel enim ministrat in tali Ordine minore, tanquam ex officio proprio, & eo modo, quo ministrari non nisi ab ordinatis licitè potest; vel ministrat eo modo, quo solet ministrari à Laicis. *Si hoc secundum*, ita ministrans nullam incurrit Irregularitatem; quia non exercet actum proprium Ordinis. Navar. *Man. c. 27. n. 242. dist. 7.* Suar. *D. 42. de Censur. sect. 4. n. 15.* Westner *hic n. 7.* Reiffentuel *ibid. n. 9.* Pirhing *n. 9.*

Si primum, incurrit Irregularitatem, 17 prout sumitur ex *c. si quis 1. b. tit.* ubi generaliter constituitur, ut *si quis - aliquod Divinum Officium exercuerit non ordinatus, - nunquam ordinetur.* atqui etiam Officia minorum Ordinum ad Divinum Officium pertinent. ergo &c. *Conf.* à pari cum Excommunicato, ministrante in Ordine minore, qui secundum dicta *Tit. præc. n. 33. cit.* Irregularitatem incurrit *DD. cit.*

Quæritur 6. an Irregularitatem in- 18 currat Sacerdos simplex Confirmans, conferens SS. Ordines, consecrans Ecclesias, vel Altaria &c. *Ratio dubitandi* est; quia Episcopatus secundum aliquos non est Ordo, vel saltem non est Ordo distinctus ab Ordine Sacerdotali.

Sed tenenda est affirmativa Sen- 19 tentia, quam etiam defendunt Suar. *D. 42. cit. sect. 4. n. 7.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. à n. 5.* Pirhing *hic n. 3.* Wielner *ibid. n. 8.* quia ut *Libr. 1. Tit. 11. n. 4.* dictum est, Episcopatus revera est Ordo; & esto, Ordo non sit, ab omnibus tamen instar Ordinis reputatur comparatione Ordinis Sacerdotalis, vi cuius ejusmodi actus ante consecrationem Episcopalem exerceri nequeunt, & per hanc primum ad eos exercendos Sacerdos elevatur.

Unde eo casu Sacerdos Irregularis 20 efficitur, ne in Episcopum consecrari possit; in Sacerdotio verò manebit suspensus biennio, vel triennio arbitrio Episcopi; ceteros verò Ordines inferiores exercere non prohibebitur. Suar. *l. cit.*

Quæritur 7. an Irregularitatem in- 21 currat etiam Laicus, solenniter baptizans, vel alios actus Ordini proprios exercendo? Affirmant Navar. *Man. c. 27. n. 242. §. septimò.* Sot. *in 4. dist. 18. q. 4. art. 1. §. in dubium. & dist. 25. q. 1. art. 3. post concl. 4.* Valent. *tom. 4. D. 4. q. 2. p. 1. & D. 7. q. 10. p. 1.* Suar. *D. 42. de Censur. sect. 4. n. 10.* Avil. *p. 7. D. 9. sect. 2. dub. 13.* Coninck *D. 18. dub. 6. n. 45.* Filliucc. *tr. 20. c. 7. q. 8. n. 208.* Hurtad. *D. 2. de Irregul. diff. 2. n. 4.* Vallens. *hic §. at verò.* Zael.

Zoel. n. 4. § 5. Engl. n. 1. Wiestner n. 9. & plures alii valde probabiliter.

²¹ *Movenitur* 1. quia Laicus Ordinum Officium temere usurpando æquè, imò gravius delinquit, quàm Clericus ad divina per primam Tonsuram jam deputatus. 2. quia *c. si quis 1. b. tit.* Irregularis esse pronuntiat non ordinatus ministrans indistinctè, & nullo facto discrimine, an Clericus ille sit, an verò Laicus. 3. quia per *Const. Clem. VIII.* incipit *Esti aliàs editam 4. Dec. 1691.* à foro Ecclesiæ abjici, & ab Ordinibus, siquos habuerint, degradati, Curia Sæculari tradi jubentur quicunque non Presbyteri generaliter, qui Missam celebrare, aut Sacramentalem Confessionem audire præsumperint.

²³ Sed non minus probabiliter Irregularitatem tali casu à Laico incurri negant Angel. V. *Irregularitas 1. n. 38.* Rosell. V. *eod. n. 2. pr.* Tabien. *ibid. 4. n. 2.* Henriq. l. 2. de *Baptism. c. 29. n. 5.* & l. 14. c. 6. n. 2. Sayr. l. 7. c. 10. n. 6. Bonacin. de *Censur. D. 7. p. 6. n. 1. v. dixi Clericus.* Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 3. Palao tr. 29. D. 6. p. 18. n. 10. Barbof. in *c. si quis 1. b. tit. n. 5.* Ratio est, quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus Jure expressis, atqui nullo Jure expressum satis invenitur, quòd talis Laicus Irregularitatem incurrat: imò istum dispositione Juris, statuentis Irregularitatis pœnam ministranti in ordine non suscepto, non incurri, satis clarè indicat Rubrica *pres. Tit.* quæ loquitur de *Clerico non ordinato ministrante.*

²⁴ Interim tamen fatendum omnino est, quòd Laicus, Missam celebrans, vel Confessionem Sacramentalem audiens, committat peccatum, & Sacrilegium gravissimum, dum Divinis Sacramentis illudat, & fidelibus per falsitatem purum panem cum vino loco veri Corporis, & Sanguinis Christi adorandum proponit: non minus talis Laicus decipit fideles,

qui ipsi peccata sua aperiunt, putantes eum esse Sacerdotem; nam existimant se obtinere remissionem peccatorum suorum, quam tamen per absolutionem, à tali homine factam, ob defectum Ordinum, & Jurisdictionis obtinere nequeunt. Hinc meritò ab Inquisitoribus, & locorum Ordinariis, tanquam Idololatriæ, & gravissimi Falsi rei omni misericordiâ indigni judicari, & Curia Sæculari debitis pœnis afficiendi tradi possunt, & debent, juxta *Const. Clem. VIII.* incipit *Esti aliàs cit.* quàm confirmavit *Urbanus VIII.* *Const.* incipit *Apostolatús*, prout dictum est *suprà n. 5.*

Ad Argumenta n. 22. allata in 25 contrarium non difficilis est responsio. Ad 1. dici potest, quòd hic versemur in materia pœnali, in qua à paritate rationis Argumentum non rectè ducitur. Ad 2. generalitas textus ad Clericos satis restringitur per Rubricam, quæ de Clerico expressè loquitur. Ad 3. Constitutio illa non meminit Irregularitatis: conf. eidem in casu præsentino non erit locus.

Quæritur 8. quis in Irregularitate, quam quis per usum temerarium Ordinum non susceptorum incurrit, dispensare possit, & potestatem concedere suscipiendi Ordines? *¶* distinguendo inter Jus antiquius & Jus novum Trid. *¶* *Jure antiquo* Decretalium dispensare poterat solus Pontifex *c. cum æterni 1. §. sciturus de Sent. & re jud. in 6.*

Jure novo Trid. autem in Delicto hoc, hæc huc occultum sit, dispensare permittitur etiam Episcopus *Sess. 24. c. 6. de reform. Ugol. de Offic. Episc. c. 57. §. 3. n. 1.* Bonacin. de *Censur. D. 7. q. 3. p. 6. n. 10.* Palao tr. 29. D. 6. p. 18. n. 12. Barbof. in *c. fin. b. tit. n. 4.* Piching *hic n. 10.* Wiestner n. 10. *fin.* Reifentuel n. 16.



TITULUS XXIX.

De Clerico per Saltum promot.

SUMMARIUM.

1. In suscipiendis Ordinibus servandi sunt gradus.
2. His non observatis, Ordo qualem susceptus valet.
3. Ita tamen suscipiens ipso Jure suspensus est.
4. Irregularis tamen non est.
5. Nisi in Ordine ita suscepto ministret.
6. 7. Effectus hujus suspensionis.

Circa Ordines etiam delinquent, qui ad eos promoventur per saltum, & uno vel pluribus Ordinibus prætermisissis, ad Superiorem ascendunt; nam sicut natura, ita & Ecclesia voluit, ut à minimis initium caperetur, & ab inferioribus Ordinibus per sequentes Ordines gradus ad Ordinem supremum fieret *can. un. dist. 52. can. si officia 2. & can. fin. dist. 59. Trid. sess. 23. c. 2. de Sac. Ordin. & c. 11. de Reform.*

Quæritur 1. quid sit constitutum circa eum, qui contra has Ecclesiæ Sanctiones sive scienter, sive ignoranter per Saltum promotus est? *scilicet* distinguendo inter Ordinem Episcopatus, & reliquos Ordines. Ordo Episcopatus invalidè suscipitur ab eo, qui non suscepit prius Ordinem Sacerdotalem; quia hunc essentialiter supponit. Si verò quis ordinatus Sacerdos sit, quamvis unus, vel plures, aut etiam omnes Ordines Sacerdotio inferiores eidem defint, validè consecratur Episcopus. Non tamen talis poterit conferre Ordines, quos non recepit; quia sic per saltum ordinatus in Sacerdotem, & Episcopum, suscepit quidem characterem Ordinis Episcopalis, sed non ejus executionem. *Gloss. fin. in c. un. h. tit. Pirhing hic n. 8. not. 2. & hoc teste communis contra Abb. in c. cit. fin.*

Similiter characterem Ordinis recipit, qui per saltum ordinatur Sacerdos omisso Ordine Diaconatus, aut qui Diaconus, omisso Subdiaconatu. *Gloss. in can. un. V. Subdiaconus dist. 52. Gloss. fin. in c. un. cit. Vivian. ibid. pr. Barbof. n. 8. Gonzal. n. 7. Fagnan. n. 4. Vallens. y. cum igitur h. tit. Pirhing n. 1. & 2. König n. 1. Wiestner n. 2. Reiffenstuel n. 2. Ipso tamen Jure suspensus est, donec omisus Ordo suppleatur, ut habetur *c. un. cit. & colligitur ex Trid. sess. 23. cit. c. 14. fin. de reform.* ubi permittitur Episcopo potestas dispensandi ex justa causa cum promotis per saltum, si non ministraverint:*

8. 9. An ipso Jure incurrat?

10. 11. An eam incurrat, qui omisâ primâ Tonfurâ, ascendit ad minores Ordines?

12. 13. Vel qui non recepit antea Sacramentum Confirmationis?

14. &c. Quis dispensare possit in pœnis, ob Ordines per saltum susceptos contractis?

conf. suspensio ab ipsis contracta est. *Navar. Man. c. 27. n. 242. Avil. de Censur. D. 9. sect. 1. dub. 2. concl. 2. Fagnan. in c. un. cit. n. 22. Barbof. n. 3. Gonzal. n. 2. Pirhing n. 3. Zoci. n. 4. König n. 2. Wiestner n. 2. Reiffenstuel n. 3.*

Quæritur 2. an sic promotus incurrat Irregularitatem? *scilicet* non incurrit, nisi ministrando temere in Ordine sic suscepto, *Sylv. V. Irregularitas q. 11. n. 12. Suar. de Censur. D. 31. sect. 1. n. 45. & seqq. Avil. dub. 2. cit. concl. 1. & 2. Spenren. decis. 114. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 47. n. 2. & in c. un. h. tit. n. 2. Fagnan. ibid. n. 22. Engl. hic y. quamvis. Pirhing n. 2. Wiestner n. 3. quia hoc nullo Jure expressum est: imò ex *c. un. cit. & Trid. c. 14. cit. fatis* clarè colligitur non incurrit, dum Episcopus permittitur dispensare cum sic promotis, si non ministraverint, non alia certè ex causa, quam quòd casu, quo non ministraverunt, Irregularitatem nullam incurrant.*

Dixi, nisi ministrando temere in Ordine sic suscepto; nam casu quo ministravit in Ordine sic suscepto, Irregularis efficitur, tanquam violator Censuræ, & sic dispensationem à Papa obtinere debet secundùm dicenda *n. 15.* Imò ita promotus Irregularitatem incurrit, si minister etiam in Ordine prætermisso: idque verum est, sive in eo ministret antè eum susceptum, sive post susceptum, si hoc faciat absque legitima Dispensatione. Si enim ministravit antè, sit Irregularis tanquam ministrans in Ordine, quem non habet juxta dicta *Tit. præc. n. 4.* Si post illum susceptum, idem sit Irregularis; quia cum suspensus sit à receptione Ordinis prætermisissis, postquam illum sine Dispensatione suscepit, manet adhuc suspensus ab ejus executione, ergo si in illa Censurâ ministret, sit Irregularis juxta dicta *Tit. 27. n. 4.*

Quæritur 3. an dicta Suspendio prohiheat etiam Usum Ordinum ritè susceptorum?

rum? Affirmant Majol. l. 4. de Irregular. c. 12. & inclinare videtur Navar. Man. c. 27. n. 242. ubi indefinitè dicit, eum, qui per saltum promotus est, manere suspensum, non declarans, an Suspendio illa totalis sit. Consentit Gonzal. in c. un. b. tit. n. 6. Sed melius negant. Sylv. V. Irregularitas q. 11. Diaz pract. crim. can. c. 29. Suar. de Censur. D. 31. sect. 1. n. 48. Avil. dub. 2. cit. concl. 2. fin. Riccius Decis. 216. n. 2. Barbof. in c. un. b. tit. n. 3. y. non est. Pirhing hic n. 5. not. 1. Wiestner n. 4. Reiffenstuel n. 4. & alii, ex quorum doctrina sic promotus dispensatione non indiget, ut ministrare possit in Ordinibus ritè susceptis; quia dispositio c. un. cit. & Trid. l. cit. poenalis est: conf. strictè interpretanda.

7 Triplex tamen hujus suspensionis effectus est. Nam 1. inducit impedimentum respectu Ordinis, ad quem per saltum promotus, omisso Ordine inferiore, ascendit. 2. impedit, ne ascendere possit ad superiores Ordines; nam Suspendio à quolibet Ordine, durante illa, consequenter impedit ascensum ad superiorem. hæc autem est vera suspensio. 3. speciale impedimentum inducit respectu Ordinis prætermisisti, ne suscipere illum sine dispensatione possit; nam hoc etiam Jura adducta probant. Suar. n. 48. cit.

8 Quæritur 4. an promotus per saltum ad Ordinem aliquem ipso Jure ab hoc Ordine suspensus sit? Archidiaconus in can. un. dist. 52. Turæc. ibid. art. 4. Diaz pract. c. 24. & alii, etsi concedant, sic promotum non posse licitè ministrare in Ordine per saltum suscepto, vel ascendere ad superiorem, donec Ordinem, quem prætermisit, accipiat; negant tamen hoc fieri propter suspensionem ipso Jure latam, sed hoc refundunt in specialem prohibitionem Ecclesiæ, ex qua receptio inferioris Ordinis est dispositio prærequisita ad convenientem usum superioris, Fundantur in can. un. cit. ubi solum dicitur, A Sacerdotali officio illum prohibeas, quæ verba vel significant executionem prædictæ prohibitionis, vel ad summum suspensionem ferendam. Confirmant ex c. un. b. tit. ubi solum dicitur, ut imponatur poenitentia, & sic ordinetur in prætermisso Ordine; & tunc permittatur ministrare in superiore jam suscepto.

9 Sed dicendum, hanc suspensionem ipso facto incurri, saltem quando scienter ita quis ordinatus est. Ita Sylv. V. Irregularitas q. 11. Host. Summ. hic §. 1. Sot. in 4. dist. 25. q. 1. art. 3. Navar. Man. c. 27. n. 242. Suar. de Censur. D. 31. sect. 1. n. 45. Et seqq. qui hoc colligit ex Trid. sess. 23. c. 14. de reform. ubi permittitur Episcopo potestas cum eo, qui R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

per saltum promotus est, si non ministraverit in eo Ordine, dispensandi ex causa legitima, non autem permittitur ipsi potestas dispensandi, ut ascendat ad superiores Ordines, vel in eo, quem ita per saltum suscepit, ministret, antequam prætermisistum recipiat; quia utrumque prohibitum est ex natura rei, supposita institutione talium Ordinum. ergo potestas dispensandi Episcopo data solum terminari potest ad hoc, ut possit Ordinem prætermisistum ita ordinatus recipere, & sic in suscepto ministrare, atque ascendere ad superiorem Ordinem. conf. supponit Concilium hoc ipsi prohibitum esse ipso facto: quod non est, nisi per Censuram suspensionis.

Quæritur 5. an Suspensionem istam incurrat etiam is, qui omisâ primâ Tonsurâ, ascendit ad minores Ordines? Videtur non incurrere; quia prima Tonsura secundum dicta Libr. 1. Tit. 11. n. 3. non est Ordo. Sed etsi Ordo non sit, est tamen primus gradus, & quasi fundamentum Ordinum, ad quos disponit, & capaces fideles efficit.

Quare dicendum à sic ordinato Suspensionem incurri, ut exequi Officium Ordinum sic susceptorum nequeat, donec primam Tonsuram recipiat. Ita Barbof. de Offic. Episc. alleg. 47. n. 7. & in c. un. tit. n. 5. Sperell. decis. 114. à n. 17. Pirhing hic n. 7. Wiestner n. 5. Reiffenstuel n. 6. & declaratum est à S. Congr. Card. Trid. Interpp. teste Gallemart. ad Trid. c. 14. cit. n. 4.

Quæritur 6. an suspensus etiam sit, qui ad minores Ordines promotus est ante receptum Sacramentum Confirmationis? Videtur suspensionem incurrere, ob paritatem cum Baptismo, ante cujus susceptionem quis susceperit Ordinem, in eodem ministrare nequit.

Sed lata inter Baptismum, & Confirmationem disparitas est: nam ille, cum omnium Sacramentorum janua sit, ad valorem Ordinis suscepti requiritur; non ita requiritur Confirmatio, igitur cum nullo Jure expressum sit, quòd Suspensionem incurrat, qui Confirmatione non suscepta est ordinatus.

Dicendum, non incurrere. Ita Ugin. de Irregul. c. 38. §. 1. Henriquez. l. 14. c. 6. n. 3. Sayr. l. 7. c. 9. fin. n. 42. Suar. tou. 3. de Sacram. p. 3. D. 38. sect. 3. Fil-luc. tr. 20. n. 205. Avil. de Censur. p. 7. D. 9. sect. 1. dub. 3. Bonac. de Irregul. D. 7. q. 3. p. 4. n. 8. Palao tr. 29. D. 6. p. 17. n. 2. Zael. hic n. 5. Pirhing n. 10. Wiestner n. 6. Reiffenstuel n. 7. Imò Navar. Man. c. 22. n. 9. Henric. n. 3. cit. cum aliis modò allegatis satis probabiliter existimant non peccare mortaliter eum, qui non suscepto Sacramento Confirmationis, susci-

pit Ordinem ; vel in suscepto ministrat ; quia licet Trid. sess. 23. c. 4. de reform. velit, ut prius suscipiatur Sacramentum Confirmationis, non tamen hoc, saltem sub gravi præcipit.

14 Quæritur 6. quis dispensare possit in pœnis, ob Ordines per saltum susceptos contractis ? R. si per saltum ordinatus in Ordine ita suscepto, vel prætermisso non ministravit, potest dispensare Episcopus in Suspensione, quatenus in Ordine per saltum suscepto ministrare valeat, ita tamen, ut prius Ordinem omnissum recipiat c. un. h. tit. & Conc. Trid. sess. 23. c. 14. de reform. fin. Engl. hic v. præterea. Pirhing n. 4. coroll. 2. Reiffenstuel n. 8.

15 Contrà non potest dispensare Episcopus cum sic promotus per saltum i. ut ascendat ad superiores Ordines, antequam inferiorem prætermisum receperit ; quia id repugnat primæ institutioni Ordinum, adeoque Juri Divino aded, ut nec Pontifex in eo videatur dispensare posse. Suar. de Censur. D. 31. sect. 1. n. 4. Pirhing bic n. 5. not. 3. 2. ut ante susceptum Ordinem prætermisum possit ministrare in Ordine per saltum suscepto ; quia hoc est per se malum, & prohibitum quasi ex natura rei, supposita institutione talium Ordinum, Suar. Pirhing l. cit. 3. denique dispensare Episcopus nequit cum eo, qui in Ordine per saltum suscepto, vel prætermisso ministravit ; quia Trid. potestatem dispensandi Episcopo concedit sub conditione, si non ministraverit.

16 Quare solum Episcopus cum ita per saltum promotus dispensare potest ad hunc effectum, ut recipiat Ordinem prætermisum, & deinde in illo ministret, & ad superiorem ascendat, modò stante ista suspensione non ministraverit in Ordine per saltum suscepto, vel in prætermisso, vel hunc sine dispensatione receperit ; tunc enim, saltem, quando delictum publicum, & notorium est, pro Dispensatione recurri ad Papam debet. Ratio est, quia incurrit novum genus Suspensionis, & præterea Irregularis efficitur ob violationem Censuræ, a qua, saltem quando delictum est publicum, dispensare alius præter Papam non potest. Barbof. alleg. 47. cit. n. 11. Wagnereck in Exeg. c. un. h. tit. Pirhing bic n. 5. not. 2.

17 Quæritur 7. an Episcopus dispensare possit etiam cum scienter promotus per sal-

tum, si non ministraverunt ? Negat Pagnan, in c. un. h. tit. n. 24. & 25. cum ita promotis etiam hodie dispensare Episcopum posse ; quia cum Jus commune antiquum distinguat inter promotum per saltum scienter, vel ignoranter, ut patet ex c. un. h. tit. quod loquitur de ordinato per saltum ignoranter. & ante annos discretionis ; & ex can. un. dist. 52. ubi sermo est de eo, qui ex negligentia seu ignorantia potius quam ex superbia, Subdiaconatu postposito, ad Diaconatum, & Presbyteratum cognoscitur ascendisse, idcirco idem Pagnanus putat eodem modo distingui debere Decretum Trid. quòd juxta communem axiomata Lex nova, disponens in materia antiqua, omnes interpretationes, & limitationes recipiat, quas illa materia recipiebat à Legibus antiquis, quamvis Lex nova loquatur generaliter.

Contrà Suar. de Censur. D. 31. sect. 1. n. 47. fin. Barbof. alleg. 47. cit. n. 6. Pirhing bic n. 6. docent, potestatem hanc dispensandi post Trid. competere Episcopo, sive scienter, sive ignoranter promotus aliquis per saltum fuerit, modò Suspensionem per ministrationem in Ordine ita suscepto vel prætermisso non violaverit ; quia Concilium non distinguit, utrum scienter & ex ambitione, aut malitia, an verò ex negligentia, vel ignorantia sic aliquis ordinatus fuerit : sed simpliciter, & indistinctè dicit posse dispensare Episcopum. Neque obest, quamvis delictum sit publicum ; quia Concilium facultatem dispensandi non limitavit ad delictum occultum, Gonzal. in c. un. h. tit. n. 6. König bic n. 2.

Ex quo sequitur discrimen inter sic promotum, qui ministravit, & inter eum, qui non ministravit in Ordine per saltum suscepto ; nam prior dispensari non potest ab Episcopo, sive scienter, & dolosè, sive ex ignorantia sic ordinatus fuerit ; quia Concilium hoc casu potestatem dispensandi Episcopo indistinctè negat. Suar. Barbof. Pirhing l. cit. Excipitur, nisi delictum occultum sit ; nam si occultum sit, tam in Irregularitate, quam in Suspensione à sic ordinato contracta dispensare valet Episcopus vi Concil. Trid. sess. 24. c. 6. de Reform. ibi, Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & Suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, dispensare. Gonzal. l. cit. n. 6. Engl. hic v. præterea, Pirhing n. 6. König n. 2. Reiffenstuel n. 10.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem suscepit.

S U M M A R I U M.

1. Quinam dicantur furtivè suscipere Ordines?
2. An valeant ita furtivè suscipere?
3. 4. 5. Quid si præmissa est ab Episcopo protestatio tales non ordinandi?

Denique circa Ordines delinquant Clerici, qui illos suscipiunt furtivè.

Quæritur 1. quinam dicantur furtivè suscipere Ordines? Ita suscipere Ordines dicitur 1. qui absque licentia, & consensu Episcopi vel sine prævio Examine, & approbatione dolosè, & Ordinatore ignorante se ordinandis immiscet *can. quando 5. dist. 24. can. extra 5. dist. 64. & c. veniens 1. jur. Et. Gloss. V. furtivè h. tit. Abb. ad Rubr. h. tit. Hoff. Summ. eod. n. 1. Barbof. in c. 1. cit. n. 6. Gonzal. in c. fin. eod. n. 2. Vallenf. hic n. 1. Pirhing n. 1. König n. 1.* 2. qui ad Ordines minores admittitur, eadem die recipit, Subdiaconatum *c. cum H. 2. h. tit. Vallenf. Pirhing, König l. cit. Excipitur, nisi alicubi consuetudine obtentum sit, ut eadem die Minores Ordines cum Subdiaconatu conferantur, quæ consuetudo in pluribus locis viget, & à DD. communiter approbatur apud Barbof. in Trid. sess. 23. c. 12. de reform.* 3. qui contra Superioris inhibitionem eodem tempore dolosè recipit duos Majores Ordines *c. fin. h. tit. Engl. hic pr. Vallenf. n. 1. Wiestner n. 1. Reiffenst. n. 2.*

Quæritur 2. an valeant Ordines furtivè, præsertim primo modo suscepti? Rationem dubitandi faciunt verba, quæ in collatione Ordinum ab Episcopis, vel eorum nomine ab Officialibus præmitti solent, quibus is protestatur, se non intendere ordinare non examinatos, aut approbatos. Sed Argumentum hoc ad summum probat, quod Ordo ita susceptus valore careat, quando Ordinans protestationem ejusmodi præmittit. Secus dicendum, si non præmittit; tum enim habendus est pro valido, cum nusquam constet esse irritum. *Abb. in c. veniens 1. h. tit. n. 1. not. 1. Pirhing hic n. 5. not. 5. Reiffenstuel n. 3. & sumitur ex c. veniens cit. ubi furtivè ordinatus non amplius jubetur reordinari, & sublatâ Censurâ, quam incurrit, permittitur ministrare, manifesto argumento, Ordinem furtivè collatum valere. Dixi ad summum; nam ulterius*

Quæritur 3. an Ordo furtivè susceptus valeat, quando Ordinans protesta-

6. &c. Pœne suscipientis furtivè Ordines.

10. &c. Cause à pœnis his excusantes.

12. &c. Quis relaxare has pœnas possit?

tionem ejusmodi præmittit? Certum est, valore destitui, si revera Ordinans habeat intentionem tales non ordinandi, nisi hanc intentionem postea corrigat. *Rebuff. præx. Benef. tit. de Cler. ad Ord. mal. promot. Gloss. 4. n. 19. Pirhing hic n. 5. Wiestner n. 3. Reiffenstuel n. 4.* nam si postea nihilominus habeat intentionem ordinandi omnes præfentes, vel faciat intentionem generalem faciendi circa personas sibi præfentes, quod facit Ecclesia, talis intentio priori prævalet, & collationem Ordinis etiam furtivè suscepti validam reddit. Et talem intentionem ab Ordinate subijungi communiter docent *Henriq. l. 2. c. 8. n. 5. Laym. l. 5. tr. 1. c. 4. n. 6. Bonacin. de Sacram. D. 2. q. 2. p. 4. n. 6. Lugo de Sacram. D. 8. n. 119.* Imò aliqui apud eundem *Leg. l. cit.* putant, hujusmodi protestationes ab Ordinariis adjectas præsumi potius animo absterrendi si volentes furtivè ordinari, quam animo non ordinandi, quod habere præsumantur intentionem absolutam ordinandi omnes præfentes.

Verùm hoc dicere non audeat *Reiffenstuel hic n. 6.* quia Episcopus, si revera vult, omnino potest habere intentionem seriam non ordinandi: cons. si contrarium non manifestat verbis, censetur eam in dubio seridè habuisse, *arg. l. Labeo 7. §. Servius 2. ff. de Sup. l. legat. ibi: Nemo existimandus est dixisse, quod mente non agitaverit; & l. generaliter 13. C. de non num. pecun. ibi: Nimis enim indignum judicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere.* Quare subsequens intentio ordinandi præfentes non censetur efficere, nisi eos, qui præviâ seriâ voluntate non fuerunt exclusi. Hinc idem *Reiffenstuel n. 7.* putat, non solum tutius, sed etiam probabilius, cons. amplectendum, casu, quo Episcopus veram, & seriam intentionem præmittit, & notificat non ordinandi certas personas, illos, qui furtivè se ingerunt, validè non ordinari: ac proinde Ordinem sic susceptum repetendum.

Quidquid sit, consultum, prout DD. notant, nequaquam est, ut Episcopi

pi intentionem, & protestationem præmittant tales, vel tales non ordinandi; tum quia hoc est difforme ritibus, & praxi universalis Ecclesiæ; tum quia secum trahit gravissima incommoda, & pericula, quæ ex dubia, & irrita Ordinatione oriuntur: quamvis consultum, & Juri conforme sit, ut sub Excommunicatione prohibeatur, ne se ingerant non approbati, vel ne aliqui plures Ordines eadem die furtivè recipiant *arg. c. veniens 1. & seqq. b. tit. Reiffenstuel n. 8.*

6. Quæritur 4. quas pœnas incurrant furtivè suscipientes Ordinem? *xy. 1.* incurrunt Suspensionem ab executione Ordinum sic susceptorum. *Engl. hic 7. pœna, König n. 2. Reiffenstuel n. 9. & patet ex c. fin. b. tit. ubi sic ordinatus prohibetur ministrare in Ordinibus sic susceptis.*

7. 2. Si susceptionem hujusmodi Episcopus prohibuit sub Excommunicatione, tanquam excommunicati suspenduntur ab executione etiam cæterorum Ordinum rite susceptorum. *Abb. in c. fin. cit. n. 4. Pirhing hic n. 2. 4. 9. Wiestn. n. 4. Reiffenstuel n. 9. & patet ex Tr. 27. supra.*

8. 3. Ex sententia *Abb. in c. 2. b. tit. not. 2. Navar. Man. c. 27. n. 241. Engl. 7. pœna b. tit. Reiffenstuel ibid. n. 10. & aliorum, contrahunt Irregularitatem, quod Ordinem suscipiant ligati Censurâ: cujus suæ doctrinæ fundamentum accipiunt ex c. veniens 1. b. tit. ubi statuitur, quod ita ordinatus furtivè nequeat etiam dispensativè ad altiores Ordines promoveri: quod est præcipuus effectus Irregularitatis, teste Covar. in *Clem. si furiosus pr. n. 1.**

9. Ego cum Laym. l. 1. tr. 5. p. 5. c. 3. n. 1. Bonacin. D. 7. de Irreg. q. 3. p. 4. n. 6. Barbof. in c. 1. b. tit. n. 5. Gonzal. in c. fin. eod. n. 2. fin. Wiestner hic n. 4. Irregularitatem incurrere credo tunc solum, quando susceptio furtiva prohibita ab Episcopo antecederet sub Excommunicatione, non verò, si alio modo; nam *Jura citt.* solum dicunt, quod ita ordinatus ministrare nequeat in susceptis, quo modo loquendi Suspensionem significari observat *Pirhing n. 3. & ex eo Wiestner n. 5. fin.* Quod verò durante hac Suspensione, per furtivam susceptionem Ordinum incurfa, non possit ascendere ad Superiorem Ordinem, non Irregularitatis,

sed Suspensionis etiam effectus est, cum omnis Censura talem ascensum prohibeat Censurato.

Quæritur 5. quænam causa furtivè promotum excuset à suspensione hæcenus declarata? *xy.* ab ea excusat à ignorantia, quæ excusat à peccato mortali; cum enim Suspendio hæc imponatur tanquam pœna, necessariò supponit culpam, & quidem gravem, cum gravis pœna sit. *Suar. de censur. D. 31. sect. 1. n. 59. Zcef. hic n. 4. Pirhing ibid. n. 4.*

Ob eandem rationem non incurrit Suspensionem istam per vim, aut metum gravem furtivè ordinatus; quia metus gravis, & justus excusat à culpa. *Suar. n. 60. Zcef. n. 5. Pirhing l. cit. modò metus iste incussus non fuerit in contemptum prohibitionis ab Ecclesia factæ. Conf. à pari; nam ut Tr. 27. n. 11. dixi, propter metum mortis, aut gravis infamiae potest aliquis Censurâ ligatus, secluso scandalo, & contemptu Religionis, se immiscere Divinis. ergo propter eundem etiam poterit furtivè suscipere Ordinem sine periculo Suspensionis propterea incurrere.*

Quæritur 6. quis possit relaxare pœnas, ob furtivam Ordinem susceptionem incurfas? *xy.* distinguendo: Vel enim talis susceptio antecederet prohibita fuit sub Excommunicatione, vel non? *Si hoc posterius, cum sic ordinato dispensare potest Episcopus c. veniens 1. & c. seq. b. tit. Palao tr. 29. D. 6. p. 17. n. 4. Vivian. in c. 1. pr. b. tit. Wagnereck ibid. not. 2. Barbof. n. 1. Valsenf. hic n. 2. Pirhing n. 5. 7. 7. additur. König n. 2. Reiffenst. n. 12.*

*Si prius, interest, an sic ordinatus intret Religionem, an verò maneat in saculo. Si primum, & ibidem aliquamdiu laudabiliter vivat, cum eodem, ut in susceptis ministrare, & ad superiores promoveri valeat, dispensare iterum potest Episcopus, vel etiam Abbas ipse, juxta c. citt. si secundum, dispensatio soli Papæ competit, ex textibus allegatis, nisi delictum esset occultum; hoc enim casu dispensare posset Episcopus ex concessione *Trid. sess. 24. c. 6. de reform. Palao n. 4. cit. Barbof. n. 1. 2. Valsenf. n. 2. Engl. 7. competit. Pirhing n. 2. 5. not. 5. König n. 2. Reiffenstuel n. 13.**

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Quomodo Episcopi, & his Superiores delinquant in inferiores sibi subditos?
4. Quomodo Prælati inferiores?

5. Quomodo subditi in suos Prælatos?
6. De unione Ecclesiarum, ad pacationem Monasteriorum &c. remissive.

Hucusque egimus generaliter de Delictis Clericorum: nunc specialiter agendum de quibusdam, quæ Prælati committunt in Subditos, & isti in suos Prælatos.

Quæritur 1. quomodo Episcopi, & his superiores delinquant in inferiores sibi subditos? *¶* hoc variis modis fieri posse. Et 1. quidem, si eos gravent indebitis oneribus, & exactionibus novis, vel si vexent Censuris, & aliis pœnis indebitè inflictis, aut viltent, & inhonestè tractent, ut aliis, etiam Laicis, sint despiciatui *c. pervenit 1. b. tit.* 2. si eorum Jura, immunitates & Jurisdictionem, privilegio, vel consuetudine legitime præscripta ipsis competentem, diminuunt, aut tollant, vel Ecclesias ipsis subjectas iisdem eripiant *c. adhuc 2. eod.* 3. si Ecclesias, vel Beneficia, quorum ordinatio, vel collatio ad eos spectat, sibi retineant, vel sibi ipsis conferant *c. ad aures 3. eod.* 4. si beneficia conferant indignis *c. inter dilectos 11. eod.* de qua materia vide *Libr. 1. Tit. 6 n. 19. cum duob. seqq. & Tit. 14. à n. 36.* 5. si directè, vel indirectè causam præstent homicidio; eo enim commisso, fiunt Irregulares, ita, ut privari debeant Officio Pontificali & Sacerdotali, & ab Episcopatus administratione amoveri *c. ex literis 10. b. tit.* 6. si Sacerdotes sibi subditos cogant ad revelandum peccatorem, vel peccatum auditum in Confessione Sacramentali *c. dilectus 13. eod.*

7. Si sub dictis suis privilegiatis aliquid præcipiant, aut interdican contra tenorem Privilegiorum Apostolicorum *c. sane 5. b. tit.* ubi etiam conceditur, quod hujusmodi indebito Episcopi mandato gravati Prælati Regulares autoritate Apostolica obedientiam denegare possint; item *c. cum ad quorundam 7. eod.* ubi declaratur, Excommunicationem latam contra subditum, quæ non paret contra privilegium, esse ipso Jure nullam; & denique *c. nimis 10. & 17. junct. Clem. un. eod.* ubi plures excessus, & gravamina Monasteriis, & Regularibus, præsertim FF. Prædicatoribus, & Minoribus illata, summam referuntur. Ratio decisionis est, quia etiam Episcopi alique Prælati, seu Superiores tenentur li-

bertates, seu immunitates inferioribus Ecclesiis, vel Clericis Sæcularibus, aut Regularibus à Papa concessas, conservare, cum inferior tollere legem Superioris nequeat *c. cum inferior 16. de major. & obed.*

Farendum tamen, quod in nonnullis casibus Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, non obstantibus Regularium privilegiis, possint procedere contra illos vi Concilii Trid. per quod, uti etiam per aliquot Constitutiones Pontificias quædam illorum privilegia fuerunt revocata: quænam autem illæ sint, dictum est *Libr. 1. Tit. 31. de Offic. Judic. Ordin. n. 30.*

Quæritur 2. quibus modis excedant Prælati Episcopis inferiores? duplex hoc Tit. maxime eorum excessus refertur, quibus ex his, quæ dicta sunt *Libr. 3. Tit. 35. à n. 38.* accedit tertius, specialis Prælatorum Regularium, 1. cum Ecclesias sibi subjectas uniunt, autoritate propria *c. sicut univ. 8. b. tit.* de qua Unione, quomodo, & à quo, quaque ex causa fieri possit, dictum *Libr. 3. Tit. 5. à n. 150.* 2. cum sibi vendicant concessionem Indulgentiarum, publicarum Pœnitentiarum impositionem, & cognitionem causarum Matrimonialium, si hoc faciant, secluso privilegio, & consuetudine legitime præscripta *c. accedentibus 12. b. tit.* 3. cum Prælati Regulares contra formam, à Jure, & Constitutionibus Pontificiis præscriptam, ædificant Monasteria: de qua materia vide *Libr. 3. Tit. 36. à n. 28.*

Quæritur 3. quomodo subditi peccent in suos Prælatos? *¶* 1. quando Festivitates ab Episcopo indictas, aut Censuras, & Interdicta ab iisdem promulgata non observant; nam in his etiam Regulares Exempti parere debent Episcopo *c. fin. b. tit. Trid. sess. 25. c. 12. de Regular. & dictum est Libr. 1. Tit. 31. n. 30. n. quinto tenentur cum seqq.* 2. si contra fidem Episcopo datam eundem negent esse dominum suum, illumque trahant ad Judicium Sæculare, aut invadant; id enim agens deponendus, seu Officio, & Beneficio privandus est *c. gravem 15.* 3. quando Beneficiati sibi in Beneficio mutant causam possidendi, sicut fieret, si

Vi-

Vicarius sibi arrogaret personam, & titulum Rectoris principalis: quod faciens tanquam perjurus, & infamis ab Officii sui executione est amovendus *c. illud 6.* 4. quando plures Clerici sine consensu Prælati sibi faciunt, & usurpant commune Collegium, aliisque Collegiorum jurac. *dilecta 14.* quia licet sint ejusdem Ecclesiæ Beneficiati, non tamen constituunt unum Corpus, sive Collegium, vel Capitulum, nisi ita ordinatum sit in prima fundatione, vel postea privilegio, aut præscriptione obtentum. 5. quando violantur Claustræ Monialium, & Monasteriorum per

ingressum, vel egressum sine licentia: de quo vide *Libr. 3. Tit. 35. de Stat. Monachor. à n. 98.*

Disputant hic aliqui de Unione Ecclesiarum, & Beneficiorum, de Monasteriorum ædificatione, de Religiosorum, & Monialium à Monasteriis suis egressu, & aliorum in ea ingressu. Sed de primo, ut *n. 4. monui*, jam dictum est *Libr. 3. Tit. 5. à n. 150.* de Secundo *Libr. eod. Tit. 36. à n. 28.* de tertio, & quarto *Libr. cit. Tit. 35. à n. 98.* Unde opus non est de his plura differere.

TITULUS XXXII.

De Novis Operis Nuntiatione.

S U M M A R I U M.

1. Quid sit Nuntiatio Novi operis?
2. &c. Quis nuntiare illud possit?
3. &c. Cui?
12. Quo tempore?
13. Quo loco?
14. Ex quibus causis?
15. &c. Quot modis fieri nuntiatio possit?

19. &c. Requisita, ut rite fiat.
22. &c. Effectus nuntiationis rite factæ.
29. &c. Quibus casibus vim non habent?
36. &c. An quilibet in fundo suo ædificare valeat, quidquid, & quo modo ipsi placuerit?

Delinquere aliquando tam Prælati, quam subditi solent Ecclesias, Monasteria, & alia pia loca, aut domos ædificando in damnum, vel præjudicium vicinarum vel aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum &c. quod facientibus occurritur per *Novi operis nuntiationem.*

Quæritur 1. quid sit *Novi Operis Nuntiatio*? R. est legitima prohibitio, ne Ecclesia, Monasterium, vel aliud novum opus extruatur aut extructum, fenestrâ alicubi apertâ, novâ malè impositâ &c. immutetur, vel in coepta constructione, aut mutatione pergatur, donec constiterit de ædificantis jure, aut præstita sit eo nomine satisfactio *l. hoc Edicto 1. §. opus novum 11. ff. h. tit. Host. Summ. hic n. 1. Wefenbec. ff. eod. n. 6. Zœl. ff. ibid. n. 2. Gonzal. in c. 4. hic n. 3. Piching n. 1. Wiesner n. 1.* De hac agitur etiam in *Jure Civil. ff. §. Codic. cujus Leges Papa quoad hoc observari vult etiam in Ecclesiis, aliisque piis locis, post novi operis nuntiationem ædificatis 6. intelleximus 1. h. tit. ubi inter alia dicitur, quod, sicut Leges non designantur SS. Canones imitari ita SS. Statuta Canonum Principum Constitutionibus adjuvantur.* Ex quo desumitur illud axioma Juris receptum, quod Jus Canonicum, & Civile sibi invicem succurrant, & quæ in uno desiderantur, ex altero suppleri possint, ac debeant. *Engl. hic n. 2.*

Quæritur 2. quis nuntiare novum opus possit? R. distinguendo; nam nuntiare novum opus potest vel circa res publicas, vel circa privatas. Circa res publicas, & quando ædificium sit in præjudicium boni publici, nuntiare novum opus possunt omnes de populo *l. in provinciali 3. §. fin. & l. seq. ff. h. tit.* quo casu si multi nuntient idem opus novum, Judex ex iis seligit magis idoneum, ut causam hanc prosequatur, ut notat *Gloss. in §. fin. cit. & habetur l. si plures 2. ff. de populari act.* Non admittitur tamen 1. Pupillus, nisi simul suâ interfit *l. de pupillo 5. pr. ff. h. tit. & l. mulieri 6. ff. de populari act.* 2. Mulier *l. mulieri cit.* juxta quam mulier universim à populari actione excluditur, nisi cum ad eam res pertinet. 3. infamis; quia, ut *l. popularis 4. ff. de populari act.* dicitur, *Popularis actio integra persone permittitur, hoc est, cui per edictum postulare licet.*

Circa res privatas, & ad commodum privatum nuntiare novum opus potest 1. is, ad quem pertinet res illa, cui damnum imminet *l. hoc edicto 1. §. Juris nostri 19. ff. h. tit.* vel qui præterdit, eam ad se pertinere, esto, verè ad ipsum non pertineat *l. hoc edicto cit. pr.* nuntiatio enim per ipsum facta non minus impedit, ne opus fiat, donec pronuntietur, nuntiantem ad hoc nullum jus habere, acsi ve-

rè res illa ad ipsum pertineret. Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 706. n. 23.* ubi tamen addit, casu, quo nuntians scit, se verè jus nullum habere ad impediendum opus, cum tali casu nuntiatione operis sit materialiter, & formaliter injusta, nuntiantem teneri ad omnia damna, etiam lucri cessantis, ex ea nuntiatione secuta. Non autem interest, an nuntians sit, vel præterdat dominium proprietatis in re, an verò dominium duntaxat utile; nam etiam, nuntiare potest, qui utile tantum dominium habet, ut Feudatarius, Emphyteuta, quin & Superficiarius *l. in provinciali 3. §. si ego 3. ff. b. tit.* imò etiam Creditor, cui prædium nomine Hypothecæ subiectum est *l. creditori 9. ff. eod.* Molin. *n. 24. §. 26.* cum aliis.

2. Nuntiare novum opus potest habens servitutem realem in fundo, in quo de novo ædificatur *§. si ego cit. l. de pupillo 5. §. sed & si 8. & §. seq. ff. eod.* saltem Urbanam; imò & Rusticam *l. non solum 8. pr. ff. tit. cit.* cum utriusque juri ædificando noceatur. Hofst. *Summ. hic n. 5.* Molin. *l. cit. n. 24.* Zoes. *hic n. 6.* Pirhing *n. 5.* Secus est de eo, qui merum Usufructum, aut aliam servitutem merè personalem habet in tali re; nam iste nuntiare non potest novum opus adversus dominum ejusdem prædii, si aliquid ædificare attentet, in quo præjudicet Usufructui, neque nomine proprio, neque procuratorio alicujus alterius: sed solum potest agere actione confessoria adversus eum ad vindicandum Usufructum, & simul ad interesse siquod ei nocumentum secutum est in suo Usufructu ex tali ædificio *l. si autem 2. junct. l. hoc edito 1. §. fin. ff. b. tit.* Molin. *n. 25.* Pirhing *n. 5.* König *n. 3.*

3. Nuntiare potest validè novum opus ad suum privatum commodum Pupillus, etiam sine autoritate Tutoris, quando non est in possessione rei, ob quam nuntiat; quia id in suum commodum cedere potest, & in nullum ejus detrimentum. Si autem sit in possessione rei, ob quam nuntiat, validè quidem nuntiat per Judicem, aut jactu lapilli; quia id similiter cedere potest in ejus commodum, & in nullum ipsius incommodum: valent autem, quæ agit Minor in suum commodum sine Tutoris autoritate. Solis autem verbis tunc nuntiare sine autoritate sui Tutoris nequit; quia eo ipso amitteret possessionem, prout dicitur *infra n. 18.* ac proinde talis nuntiatione cederet in ipsius detrimentum *l. de pupillo 5. pr. ff. b. tit.* Molin. *n. 28.*

4. Nuntiare potest filius, mancipium, mercenarius, negotiorum gestor, qui negotiis ejus, cujus nomine nuntiat, sit expositus; item Procurator, & amicus, *R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.*

non tamen proprio nomine, sed alieno illius, qui autoritate sua propria posset *l. hoc edito 1. §. item nuntiationem 3. ff. b. tit.* modò caveant de rato, h. e. eum, cujus nomine nuntiant, ratam eam nuntiationem habiturum *l. de pupillo 5. §. qui procuratorio 12. ff. eod.* Excipitur, si Procurator haberet speciale mandatum ab eo, cujus nomine nuntiat; tunc enim non esset necesse, ut de rato caveat, cum hoc ipso constet ratum id habere illum, cujus nomine nuntiat. In cæteris relatis nullum mandatum requiritur; nam si mandatum haberent, personam Procuratoris induerent: sufficere ergo, si de rato caveant. Molin. *n. 29.* Gonzal. *in c. 4. b. tit. n. 6.*

5. Denique nuntiare opus novum potest à quovis, cujus interest, ne hujusmodi opus novum fiat. Gonzal. *in c. 4. cit. n. 6.* Vallens. *hic n. 3.* König *n. 3.* Reiffenstuel *n. 8.* arg. *l. hoc edito cit. §. nuntiatione 16.* Neque necesse est, ut is, qui ita nuntiat propter suum interesse, habeat mandatum ab alio, vel adhibeat autoritatem Judicis, juxta *l. cit. §. nuntiatione 2.* ibi, *Nuntiatione ex hoc edito non habet necessariam Prætoris additionem; potest enim nuntiare quis, etsi eum non adierit.* Reiffenstuel. *n. 8.*

Quæritur 3. cui nuntiare novum opus possit? *n.* potest nuntiare cuivis, seu contra quemcunque, etiam proprium Superiorem suum, in præjudicium alterius novum opus molientem facere *l. non solum 8. pr. ff. b. tit.* ibi, *Non solum proximo vicino, sed etiam Superiori opus facienti nuntiare opus novum potero:* idque vel mediatè, vel immediatè; adeoque non solum ipsi domino, opus novum inchoanti, sed etiam isto absente, & ignorante, in loco novi operis præsentibus v. g. fabris, opificibus, servis, vel aliis quibuscunque tandem, etiam mulieribus, qui domino referre valent nuntiationem factam, nuntiatione fieri potest, dummodo in, vel prope locum novi operis fiat, ut per hoc dominus rescire possit, per textum expressum *l. de pupillo 5. §. nuntiare 3. ff. b. tit.*

Neque refert 1. quis sit iste, qui in re præsentis fuerit, & cui nuntiatum est, ut *§. nuntiare cit.* dicitur; quia nuntiatione fit in rem, sive rei, non personæ *l. operis 10. ff. eod.* Wagnereck *ad Rubr. b. tit. n. 2.* Engl *hic n. 2. §. hæc nuntiatione.* Pirhing *n. 6.* Reiffenstuel *n. 13.* adeò, ut etiam fieri possit infanti, & furioso, rationis usum non habentibus; nam contra istos vim habet, etsi non adsit Tutor, vel Curator illorum: modò tamen facta sit in præsentia fabri aut alterius intelligentis, qui operi insistant, agentes rem ita carentium usu rationis; alio-

alioquin contra carentes usu rationis vim non habebit. Molin. D. 706. n. 19.

20 Non refert 2. quale sit ædificium, an profanum, an verò pium, aut sacrum v. g. Ecclesia: item in quo loco id fiat, an in publico, vel privato, sacro, aut religioso, an profano &c. nam etiam contra ædificantem Ecclesiam, aut molientem opus n via publica nuntiatio fieri potest c. cum ex injuncto 2. b. tit. & l. hoc edito 1. §. hoc autem 1. ff. eod. ibi, in loco sacro, religiosove, & in flumine publico, ripave publica. Et hinc c. intelleximus 1. b. tit. conceditur novi operis nuntiatio contra ædificantem Capellam in præjudicium Parochialis Ecclesiæ: imò contra ædificantes quancunque Ecclesiam in præjudicium alterius; quia, ut ibi dicitur nulla Ecclesia in præjudicium est alterius construenda. Intellige, nisi id fiat ex justa causa per Episcopum cognita, & approbata, eoque permittente, v. g. ob multitudinem populi, amplitudinem Parochiæ &c. Vivian. in c. intelleximus cit. pr. Barbof. ibid. n. 1. Fagnan. in c. cum ex injuncto cit. n. 1. Wagnereck ad Rubr. b. tit. n. 2. Pirhing hic n. 3. König n. 8. Reiffenstuel n. 15. & seqq.

21 Non refert 3. utrum Jure, vel injuriâ, seu injustè nuntiatio fiat; nam locum nuntiatio habet etiam contra eum, qui jus ædificandi habet, quando istud non est notorium. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 706. n. 1. & 2. Gonzal. in c. 4. b. tit. n. 7. Barbof. in c. 1. n. 1. & in c. 3. n. 2. Engl. hic n. 3. Pirhing n. 8. Reiffenstuel n. 19. Sumitur ex c. intelleximus cit. Ratio datur l. Prator ait. 20. §. interdictum 1. ff. b. tit. ibi: Qui igitur facit, etsi jus faciendi habuit, tamen contra Interdictum Pratoris facere videtur, & ideo hoc destruere cogitur. Conf. 1. quia is, cui facta est nuntiatio operis, potest se tueri viâ juris adeundo Judicem, & petendo ab eo remissionem operis: si ergo istud non fecerit, sed processerit viâ facti, ac perrexerit ædificare, contemnere videtur authoritatem Pratoris, & ideo, etiamsi jus ædificandi habuerit, meritò opus postea factum demoliri cogitur. Conf. 2. quia si post novi operis nuntiationem licitum esset ædificanti excipere, se jus ædificandi habere, idque probare paratum esse, denuntians verò hoc negaret, orirentur rixæ, & facilè deveniretur ad arma.

22 Quæritur 4. quo tempore, quo loco, & ex quibus causis fieri novi operis nuntiatio possit? n. potest fieri quavis die l. hoc edito 1. §. item nuntiatio 4. ff. b. tit. adeoque etiam tempore sacro, & feriato. Gloss. in §. cit. y. omnibus diebus. Molin. tr. 2. D. 706. n. 18. Pirhing hic n. 7. Resp. 2. Reiffenstuel ibid. n. 12.

Ratio est, quia extra jus, sive Judicium fieri potest: & quamvis interdum adeatur Prator, seu Judex, non tamen proceditur pro causæ cognitionem, Judice sedente pro Tribunali, sed de plano tantum. Zof. ff. b. tit. n. 22.

Locum quod attinet, necesse est, ut 13 nuntiatio fiat, vel prope locum, ubi fit, vel intenditur novum opus l. de pupillo 5. §. nuntiationem 2. ff. tit. ibi, Nuntiationem autem in re præsentem faciendam meminisse oportebit, i. e. eo loci, ubi opus fiat, sive quis ædificet, sive inchoet ædificare. Molin. n. 20. Gonzal. in c. 4. b. tit. n. 3. Pirhing n. 6. Reiffenstuel n. 12.

Causæ, ex quibus novi operis 14 nuntiatio fieri potest, tres enumerantur; potest enim fieri vel ad conservandum jus nostrum, quod novo opere violari cernimus; vel ad avertendum præjudicium, aut damnum, quod nuntians ex eo opere sibi oriturum timet; vel ad tuendum Jus publicum, textu expresso l. hoc edito 1. §. nuntiatio 16. ff. b. tit. ibi Nuntiatio fit aut juris nostri conservandi causa, aut damni depellendi, aut publici juris tuendi gratiâ. Molin. n. 13. Reiffenstuel n. 17.

Quæritur 5. quot modis novi operis 15 nuntiatio fieri soleat? n. fieri solet tribus modis, prout habetur l. de pupillo 5. §. meminisse 10. ff. b. tit. 1. solo verbo extra judicium adversario id molienti denuntiando, ne quid novi operis moliat, aut coeptum prosequatur. Neque ad hoc requiritur certa verborum forma, sed sufficiunt quavis verba, intentionem prohibentis, seu nuntiantis satis exprimentia. Reiffenstuel hic n. 11.

2. Per Magistratum, sive Judicem, 16 petendo ab isto, ut novum opus fieri prohibeat. Si Judex sit absens, isque, qui coram eo vult novum opus nuntiare, protestetur, quòd coram ipso velit id nuntiare, posteaque aut Judex adveniat, aut ipse nuntians, cum primum nactus opportunitatem fuerit, ad illum accedat, & coram eo id nuntiet, perinde reputabitur, acsi in puncto protestationis coram Judice id nuntiasset, ad effectum, ut nuntians destruere teneatur, quod à protestatione usque ad nuntiationem coram Judice factam ædificavit. Molin. tr. 2. D. 706. n. 17. & habetur l. de pupillo cit. §. siquis ipsi 7.

3. Per appositionem manus, sive 17 lapidum, aut materiæ ad ædificandum paratæ dispersionem: imò per jactum unius lapidis in locum, ubi opus fit, aut per lapidis ex opere cepto amotionem l. de pupillo cit. §. meminisse 10. intervenientibus tamen verbis, aut nutu, vel alio signo æquivalente, & prohibitionem significantem; non enim omnis, qui lapillum projicit, intendit novum opus nuntiare. Holt. Sarm. n. 8.

n. 2. b. tit. Sylv. V. Nuntiatio novi operis q.
4. Molin. D. 706. cit. n. 15. Zœl. ff. b. tit.
n. 12. Perez Cod. eod. n. 11. Gonzal. in c.
4. bic n. 4. Pirh. n. 7. König n. 5. Wiestner
n. 4. Reiffenstuel n. 9. imò aliqui putant,
projectionem lapilli, ut vim nuntiationis ha-
beat, ter fieri debere.

18 Porro circa istos tres nuntiandi
modos duò insuper notanda sunt. 1.
quocunque modo fiat nuntiatio, consultum
est, ut coram testibus fiat, pro faciliori
probatione, quòd facta sit. Molin. l. cit.
n. 15. pr. 2. et si quilibet ex his nun-
tianti modis sufficiens sit, tamen casu;
quo quis in nostrò ædificare, aut novum
opus inchoare vult, melius est per lapilli ja-
ctum, vel per Prætorem, quàm per sim-
plicem verbalem nuntiationem opus prohi-
bere; quia hanc in tali casu qui facit, ami-
ttit possessionem, & eam acquirit ad-
versarius §. meminisse cit. Sylv. q. 4. cit. Mo-
lin. n. 16. Wagnereck ad Rubr. h. tit. n. 3.
Vallens. n. 3. Pirhing n. 7. König n. 3. Reif-
fenstuel n. 10. Ratio est, quia qui so-
lo verbo opus novum nuntiat, videtur
meticulosus; & relinquere possessionem
alteri. König n. 5.

19 Quæritur 6. quid requiratur, ut no-
vi operis nuntiatio locum habeat?
tria requiruntur. 1. ut sit nuntiatio ope-
ris solo conjuncti, vel conjungendi, ut in
eo permaneat; nam si quis messem colligat,
arbores succidat, vineam putet,
etiamsi opus faciat, contra eum tamen no-
vi operis nuntiatio non habet locum l. hoc
edito 1. §. hoc autem 12. ff. b. tit. Gloss.
ibid. V. in solo. Molin. D. 706. cit. n. 8.
Zœl. ad eand. Rubr. ff. n. 3. Perez. Cod. eod.
n. 2. Wagnereck ad Rubr. b. tit. n. 3. & ad
c. 4. not. 3. Gonzal. ibid. n. 3. Pirhing n. 2.
König n. 4. Wiestner n. 2. Reiffen-
stuel n. 5.

20 2. Ut sit nuntiatio operis novi.
Novum autem opus facere videtur, qui
aut ædificando, aut detrahendo pristinam
faciem operis mutat, ut dicitur, l. hoc edi-
to cit. §. opus novum 11. Et hinc si
quis verus ædificium fulciat, vel reficiat,
non habet locum hæc nuntiatio; quia
non opus novum facit, sed veteri suscinendo
remedium aabit, ut habetur l. cit. §. si
quis ædificium 13. modò in reficiendo pri-
stina forma ædificii servetur, & reficiens
nihil addat, vel detrahat ædificio antiquo.
Molin. n. 10. Gonzal. in c. 4. cit. n. 5.
Wagnereck ad Rubr. n. 1. Vallens. bic n. 1.
Pirhing n. 2.

21 3. Ut sit nuntiatio operis novi in-
choati, & nondum perfecti; quia hoc edi-
tum, ut l. cit. §. hoc autem 1. dicitur,
adversus futura opera inducitur, non ad-
versus præterita b. e. adversus ea, quæ
nondum facta sunt, ne fiant. Duar. in c.
R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

3. b. tit. Molin. n. 3. Zœl. ff. b. tit. n. 4.
Perez Cod. eod. n. 2. Barbof. in c. 3. cit. n.
4. Vallens. bic n. 1. fin. Pirhing n. 2.
Wiestner n. 5. Reiffenstuel n. 3. Ra-
tio est, quia edictum de novi operis nun-
tiatione prohibitorium est, quæ autem jam
facta, & perfecta sunt, prohiberi neque-
unt: & hinc adversus opus jam factum,
& perfectum recurrendum est ad Interdi-
ctum Quod vi, aut clam, ut quod illicitè
factum est, restituatur §. hoc autem cit.
Præterea necesse est, ut opus, quod nun-
tietur, defacto sit inchoatum, ita, ut is,
cui nuntietur, actu processerit ad actum
aliquem præparatorium operis; nam si
animo solum destinavit opus facere, opus
novum ipsi nuntietur non potest. König n. 4.

Quæritur 7. quem effectum habeat
22 novi operis nuntiatio? 1. facit, ut is,
qui struere illud incepit, ab eo debeat de-
sistere, donec re examinata de ædificatio-
nis jure constet l. non solum 8. §. sciendum
4. ff. b. tit. Host. Summ. b. tit. n. 12. Zœl.
ff. eod. n. 13. Perez. Cod. eod. n. 13. Gonzal.
in c. 4. bic n. 7. Vallens. n. 4. Engl. n. 3.
König n. 7. Reiffenstuel n. 18.

23 Si fecus fecerit, & post nuntiatio-
nem pergat, quidquid postea ædificatum
est, expensis ipsius ædificantis demolien-
dum est, ante omnem cognitionem Judi-
ciale, an jus habeat, vel non, ita quid-
dem, ut non sit audiendus ædificans,
quantumvis cautionem præstare voluerit
de eo, quod post nuntiationem ædificatum
est, demoliendo, ubi probatum fuerit,
contra nuntiantis jus ædificatum esse l. hoc
edito 1. & l. Prætor 20. §. interdictum 1. ff. b.
tit. Molin. tr. 2. D. 706. n. 1. §. 2. Fa-
gnan. in c. cum ex injuncto 2. b. tit. n. 2.
Barbof. ibid. n. 1. Gonzal. in c. 4. eod. n. 1.
Vallens. bic n. 4. Engl. n. 3. Pirhing n. 8.
König n. 7. Wiestner n. 6. Reiffenstuel n.
18. 20. §. 21.

24 Habétque hæc Juris Imperialis di-
spositio locum etiam in foro Ecclesiastico,
& quoad Ecclesias, aliáque ædificia pia,
aut religiosa, in præjudicium alterius post
nuntiationem constructa, prout notant
Fagn. l. cit. n. 1. Barbof. in c. 1. n. 1. Vi-
vian. ibid. pr. Wagnereck ad Rubr. n. 2.
König n. 8. Reiffenstuel n. 18. & patet ex
c. 2. §. c. fin. b. tit. idque merito; quia
nuntiatio ista habetur instar Appellationis
extrajudicialis, quæ pendente nihil est
attendandum, & attentata omnia revocan-
da. Gonzal. l. cit. n. 7. König n. 7. Wiest-
ner n. 6. Reiffenst. n. 20.

25 Imò opus à vicino in eo, quod
possidemus, factum propria autoritate de-
strui potest, dummodo id non ex inter-
vallo, sed in continenti fiat; quia in con-
tinenti vis vi repelli videtur: quod Jure
permisum patet ex l. sed si 27. ff. de ser-
vit.

vit. urban. præd. § l. quod est 3. §. eum igitur 9. ff. de vi armat. Zœf. ff. b. tit. n. 16. Pirhing n. 24. Wiestner n. 6. fin. Reiffenstuel n. 23.

26 Dixi, in eo, quod possidemus; nam si quis in suo novum opus in tuum præjudicium faciat, non poteris propria auctoritate statim illud in continenti violentè impedire, aut destruerè, sed debet priùs adhibere novi operis nuntiationem arg. l. de pupillo 5. §. meminisse 10. ff. b. tit. ibi, Si in suo quid faciat, quod nobis noceat, tunc operis novi nuntiatio erit necessaria. Ratio est, quia in suo ædificans ante nuntiationem vim alteri inferre non censetur l. altiùs 8. C. de Servit. conf. non intrat illud Juris axioma vim vi Esc. n. præc. allegatum Reiffenst. n. 24. § 28.

27 Post nuntiationem autem, si ædificans pergat ædificare in præjudicium alterius, quamvis in fundo suo, potest nuntians in continenti talem propria auctoritate, etiam vi adhibita, impedire, & ædificatum post nuntiationem in continenti destruerè arg. tot. tit. ff. quod vi, aut clam. Ratio est, quia ita ædificare pergens post nuntiationem injustam vim infert nuntianti, ac vi ædificare censetur, prout patet ex l. prætor 1. §. sed § si 6. & §. seq. item l. vi facit 20. §. prohibitus 1. ff. quod vi, aut clam. Reiffenstuel n. 24. § 28.

28 Neque refert, quod ædificans post nuntiationem ad tempus cessaverit, sicque paruerit nuntiationi, si deinde iterum incipiat; quia hujusmodi cessatio ab ædificio, ad tempus duntaxat facta, non relevat, quo minus adhuc dicatur vi ædificasse, qui tale ædificium sine permissione nuntiantis rursus assumit, prout expresse iterum decisum est l. prætor 1. §. item Labeo 9. ff. quod vi, aut clam. ibi: si quem facientem prohibuero, usque desiterit in præsentiarum, rursusque postea facere cœperit, vi eum videri fecisse, nisi permissu meo facere cœperit, vel qua alia justa causa accedente.

29 Quaritur 8 quibus casibus novi operis nuntiatio vim hæcenus declaratam non habeat? R. 1. quando jus ædificandi notorium est, & nuntiatio notoriè injusta; cum enim nuntiatio tali casu remittatur l. prætor 20. pr. ff. b. tit. meritò etiam contemnitur; quia frustra Juris certi liquidatio expectatur. Abb. in c. 1. b. t. n. 10. Molin. tr. 2. D. 706. n. 2. Gaill. l. 1. obs. 16. n. 4. Zœf. ff. b. tit. n. 15. Perez Cod. eod. n. 15. Wagnereck in c. 1. V. si ve jure not. 2. Barb. in c. 2. n. 2. Gonzal. in c. 4. n. 8. Pirhing hic n. 24. König n. 4. Wiestner n. 7. Reiffenstuel n. 29. contra Fachineum, qui l. 8. contr. c. 44. contrarium sustinet ex Regula, quòd privati concedendum non sit, quod Magistratùs publica auctoritate fieri potest l. factum

170. ff. de R. J. Sed videtur adhuc retinenda prior sententia; nam auctoritas Magistratùs hic necessaria non videtur, cum Jus supponatur liquidum esse. Neque obstant textus c. intelleximus 1. §. concordantes b. tit. ubi habetur, quòd ad nuntiationem novi operis alter ab opere cessare debeat, sive Jure, sive injurià aliquid construatur, conf. sive justa, sive injusta sit denuntiatio; quia textus isti intelligi solum debent de ea, quæ vel dubia est, vel injusta apparet: non verò de illa, quam injustam esse manifestum, atque notorium est, cum Leges manifestas injurias nequaquam foveant arg. l. placuit 8. C. de Judic. Molin. D. 706. n. 2. fin. Pirhing n. 24. Reiffenstuel n. 30.

2. Si nuntians re adhuc integra, 30 sive antequam aliquid ædificatum sit, moriatur l. non solum 8. §. morte 6. ff. b. tit. Gloss. in c. 2. V. remissionem b. tit. Contra non extinguitur nuntiatio morte ejus, cui opus nuntiatum est l. non solum cit. §. fin. Ratio diversitatis est, quia ut advertit Gloss. in l. cit. V. etiam heredis; junct. Gloss. marg. lit. H. nuntiatio ex parte personæ nuntiantis est personalis, adeoque ad hæredes istius non transit, nisi quis suo, & hæredum nomine nuntiaverit: ex parte verò personæ nuntiatæ est realis; quia fit in rem l. operis 10. ff. b. tit. conf. ad successorem transit in id, quod ad ipsum pervenit, vel si dolo ipsius factum est, quò minus veniret l. prætor 20. §. plane 8. ff. eod. Idque verum est non tantum de Successore universalis, sed etiam de particulari; nam etiam in Emptorem nuntiatio transit l. fin. ff. eod. Ex quo sequitur, si opus novum denuntiatum fuerit antecessori ædificantis, & successor id ratum habuit, vel post denuntiationem factam prosecutus est opus ab antecessore inchoatum, sciens nuntiationem esse factam, id, quod post nuntiationem constructum est, destruendum sumptibus Successoris. Gloss. in c. 2. V. expensis b. tit. junct. Gloss. marg. lit. G. Contra si opus ab antecessore cœptum non prosecuatur, vel ignoret, nuntiationem esse factam; hic enim solum tenetur ad præstantiam patientiam destruendi opus, non autem ad poenam impensarum, ut suis sumptibus destruat, Molin. D. 706. n. 19. Faugnan. in c. cum ex injuncto. 2. b. tit. n. 3. §. seqq. Pirhing hic n. 9.

3. Si nuntians ædificanti nuntiationem remittat c. cum ex injuncto 2. b. tit. ibi, Ante remissionem ædificaverit. l. non solum 8. §. sciendum 4. ff. eod. l. un. pt. ff. de remission. Item si nuntians novum opus cautionem ab ædificante sibi oblatam acceptet de opere destruendo, ubi injustè cœptum esse constiterit c. significantibus 3. b. tit.

b. tit. & l. prator 20. §. deinde 9. ff. b. tit. quia favori, pro se principaliter introducto renuntiare quilibet potest. Wagnereck ad Rubr. b. tit. n. 4. Pirhing n. 15. Reiffenstuel n. 6. §. n. 33.

Non tamentalem cautionem nuntiator accipere cogitur c. significantibus cit. & c. fin. b. tit. quia ubi semel ædificatum est, durior causa redditur, ac postea difficilius ad demolitionem devenitur. melius autem est intacta jura servare, quam post causam vulneratam remedium querere l. fin. c. ex quib. caus. restit. Vivian. in c. 3. b. tit. prop. fin. Gonzal. in c. 4. eod. n. 2. Pirhing n. 16. Engl n. 3. König n. 9. Reiffenstuel n. 6. Neque obstat, quod l. prator 20. cit. §. si 14. & alibi dicatur, quod præstita cautione de demoliendo, vel oblata, & non recepta, possit quis licite ædificare; nam, ut Gloss. in c. fin. V. non obstante b. tit. notat, id intelligendum est de casu, quo nuntians intra trimestre non probaverit prohibendi jus sibi competisse: quem casum excipiam infra n. 33.

4. Si nuntians ad instantiam ædificantis jurare nolit de calumnia, sive quod existimet, se justam causam habere prohibendi operis incepti perfectionem l. de pupillo 5. §. qui opus 14. ff. b. tit. quia malitiosè nuntiassè præsumitur, & ideo nuntiatio ædificantis remittitur, & pro non facta habetur. Host. Summ. hic n. 11. fin. Molin. D. 706. n. 32. Pirhing n. 22. Wiestner n. 8. Reiffenstuel n. 34.

5. Si idem nuntians intra trimestre non probaverit prohibendi jus sibi competitissè c. significantibus 3. & c. fin. b. tit. l. un. C. eod. nam hoc casu ædificans, præstita, vel oblata cautione de demoliendo conceptum opus prosequi permittitur, ne inanibus nuntiationibus ædificia nimis longo tempore prohibeantur Gloss. in c. fin. cit. V. non obstante, Abb. ibid. not. 1. Gonzal. n. 2. Barbof. n. 4. Wagnereck ad Rubr. n. 4. Zæf. ff. b. tit. n. 17. Vallens. hic n. 4. §. ne tamen, Engl n. 4. Pirhing n. 16. §. seqq. König n. 9. Wiestner n. 9. Reiffenstuel n. 35.

6. Si periculum sit in mora, & dilatio ædificii cessura esset in grave damnum volentis ædificare l. de pupillo cit. §. præterea 12. quia ubi periculum est in mora, recedere licet à Regulis Juris communis, & prohibitiva istius dispositio remittitur: debet tamen hoc casu nuntians præstare cautionem de destruendo, si jure ædificatum non fuerit, & eam debet acceptare nuntians. Abb. in c. 2. b. tit. n. 9. Molin. D. 706. n. 11. Barbof. in c. fin. hic n. 2. Pirhing n. 23. König n. 9. Wiestner n. 10. Reiffenstuel n. 32.

7. Si Judex nuntiationem, quam fieri jussit, iterum revocavit l. si opus 16.

ff. b. tit. sicut etiam, quando ab alio factam, considerata æquitate naturali, pro arbitrio suo ante elapsum tempus remittit, ut si ex inspectione oculari, vel aliunde saltem summariter apparet de injuria nuntiationis vel de periculo damni ex dilatione orituri. Barbof. in c. fin. b. tit. n. 2. Engl n. 5. Pirhing n. 24. Reiffenstuel n. 36. dummodo Judex interea petat, ut ædificans præstet cautionem de opere destruendo, quando injustè ædificatum constiterit. Reiffenstuel l. cit. Imò hac cautione omnino opus non est, quando Judex causam cognitam pronuntiavit, nuntiarum habere jus ad ita ædificandum, ac proinde nuntiationem fuisse nullam. Molin. n. 1.

Quæritur 9. an quilibet in fundo suo ædificare valeat, quidquid, & quomodo ipsi placuerit? R. regulariter loquendo id fieri posse, adeò, ut non possit quis propterea à vicino prohiberi, licet ex tali ædificio vicinus quandam incommoditatem sentiat, quia v. g. domus ejus per hoc fit obscurior, vel quia liberior ex ea prospectus admittitur. Barbof. in c. fin. b. tit. n. 6. Engl hic n. 6. Reiffenstuel n. 37. Desumitur ex l. altius 2. c. de Servit. ibi, Alius quidem ædificia tollere, si domus servitutem non debeat, dominus ejus minime prohibetur (adde cum Summario ibidem) etiam usque ad cælum: nam ut DD. loquuntur, si domus est mea, tunc mea est usque ad cælum, & infernum.

Dixi Regulariter; nam 1. excipitur, si vicinus habeat in domo ædificantis servitutem urbanam ex pacto, testamento, vel præscriptione acquisitam, ut sunt servitus altius non tollendi, non offiendi luminibus, vel prospectui. Engl n. 6. cit. except. 1. Reiffenstuel n. 38. qui tamen rectè addit, per hoc, quod quis longo tempore non ædificavit, non hoc ipso acquisitam ceteri vicino servitutem altius non tollendi &c. quia ædificare in suo est actus meræ facultatis, contra quem præscriptio non inducitur.

2. Si ex novo ædificio vicini ædibus immineat periculum damni, vel ruinæ, rectè tunc ædificantis nuntiatum novum opus, ut cautionem damni infecti præstet arg. l. hoc edicto 1. §. nuntiatio 16. ff. b. tit. junct. tot. tit. ff. de damn. infect. Porro damnium infectum dicitur damnum, quod nondum factum est, sed futurum timetur l. damnium 2. ff. de damn. infect. Et hinc præstare cautionem de damno infecto idem est, ac se obligare ad compensandum omne damnum, siquid ex ædificio novo alteri obventurum est, Engl except. 2. Reiffenst. n. 39.

3. Rectè nuntiatum novum opus, si quis tantum ad vicini æmulationem ipsius ædes obscurare, aut novas fenestras

contra domum, vel hortum ejus aperire velit; neque enim malitiam indulgendum est, ut dicitur *l. in fundo 38. ff. d. R. V.* præsertim si id agatur, ut nocumentum vicino fiat, vel eidem creentur molestiæ. Menoch. *de arbitr. cas. 156.* & *l. 6. præsumpt. 29. n. 28.* Engl *Except. 3.* Reiffenstuel *n. 40.* Præsumitur autem novum opus ad æmulationem vicini facere, si talis structura ipsi ædificandi nullam afferat utilitatem. Barbof. *in c. fin. b. tit. cum cit.*

40 4. Quandoque prohibetur quis novum opus facere favore Religionis, ac boni publici; nam etsi cuilibet per se liceat alius tollere ædificium suum *l. alius cit.*, ta-

men Jure prohibitum est privatum ædificium ita altè attollere, ut ex eo videri possint Religiosi, aut Religiosæ personæ intra proprias domus religiosè habitantes: quæ ratio etiam probat, ex domo privata versus Monasterium non posse aperiri fenestram, ut hujusmodi prospectus detur, quod favor Religionis eo casu prohibeat, ne privatus Jure suo utatur. Reiffenstuel *n. 41.* cum *citt.* post Cynum, *Salicetum, Covarruviam &c.* Videantur etiam Laym. *l. 3. tr. 4. c. 17. n. 34.* Sperell. *Dicif. 58.* Donat. *prax. Reg. tom. 1. p. 1. tr. 2. q. 28.*

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & Excessibus Privilegiatorum.

AD delicta etiam pertinet abuti Privilegiis sibi datis: cum verò Delicti species non satis percipi possit, nisi scia-

tur, quid Juris sit de Privilegiis, idcirco hic etiam agitur de ipsis Privilegiis.

§. I.

De Natura Privilegii.

S U M M A R I U M.

1. Privilegii diversa acceptio.
2. Hujus Definitio.
3. Definitionis explicatio.
4. Differentia Privilegii à Lege.
5. Dispensatione.
6. A Gratia, vel Beneficio Principis.
7. A Rescripto.
8. &c. An per Privilegium debeat concedi aliquid speciale?
12. &c. An ad valorem illius requiratur scriptura?

16. &c. Et justa causa?
20. &c. Quid requiratur, ut valeat, & effectum habeat Privilegium derogatorum Juris communis, vel tertii?
33. &c. An, & quomodo Promulgatio, seu notitia Privilegii ad Privilegium requiratur?
29. &c. Quando concessio Privilegii effectum habeat?

1 Q Uæritur 1. quid sit Privilegium? 2. Privilegii nomen dupliciter accipi potest; nam interdum accipitur pro Rescripto, seu Instrumento, in quo gratia, beneficium, seu indulgentia Principis continetur, ut in *c. cum dilecta 4. de Conf. util. & inut. & in c. ex parte 13. b. tit.* Verùm de eo sic accepto agitur in *Libr. 1. Decret. Tit. 3.* Frequentius, & prout ad locum præsentem pertinet, sumitur pro ipso jure, beneficio, seu gratia concessa à Principe. Suar *l. 8. de LL. c. 1. n. 1.* Pirhing *hic n. 1.* In hoc secundo sensu acceptum.

2 Privilegium definitur, quod sit Lex privata, speciale aliquod beneficium, aut favorem contra, vel præter Jus concedens. Ita S. Anton. *p. 1. tit. 19. c. 1.* Suar. *c. 1. cit. n. 3.* Palao *p. 1. tr. 3. D. 4. p. 1. n. 1.* Engl *hic n. 1.* Pirhing *n. 2.* König *n. 3.*

Wiestner *n. 1.* Reiffenstuel *n. 3.* cum Summistis *V. Privilegium*, & DD. ad banc Rubricam. Sensus est, quod Privilegium sit favor, seu gratia, quæ à legitimo Superiore uni, vel pluribus personis particularibus, aut etiam Collegio, Universitati, vel ejus parti, aut loco, v. g. Ecclesiæ, Oppido, Castro cum aliqua duratione, & stabilitate conceditur facultas aliquid præter, vel contra Legem, seu Jus commune agendi, aut omittendi. Wiest. *l. cit.*

Dicitur 1. Lex, scilicet per Analogiam aliquam, & improprie; quia dum durat, aliis necessitatem imponit, ne privilegiato usum ejus impediatur. 2. additur, Lex privata; quia privatum aliquod beneficium privilegiato concedit, & regulariter pertinet ad personam privatam, vel si Communitati conceditur, hæc consideratur tanquam pars Communitatis superioris.

rioris, quæ obligatur communi Legge. 3. dicitur, *speciale aliquod beneficium, aut favorem concedens*, ut excludantur à ratione Privilegii Leges Pœnales, quæ licet in defensionem aliquarum personarum, vel Immunitatis Ecclesiasticæ latæ sint, Privilegi tamen naturam non obtinent; quia non per se concedunt beneficium, licet illud ex impositione pœnæ, & delinquentis punitione aliquo modo resultet.

Quæritur 2. qua ratione Privilegium differat à Legge, Dispensatione, Gratia, seu beneficio Principis, & ab hujus Rescripto? 1. à Legge differt 1. quia privilegium immediatè spectat bonum personæ, aut loci, Collegii, seu Universitatis privatz; Lex immediatè intendit bonum totius Reip. 2. Lex semper adstringit ad sui observationem eos, in quos fertur; non ita obligat ad sui usum Privilegium illos, quibus collatum est, cum invito beneficium non detur juxta Reg. invito 69. ff. 3. per Legem constituitur Jus; per Privilegium privilegiatus eximitur à Jure. Vasq. D. 115. c. 1. n. 2. Es 3. Laym. in c. 1. de Conflit. n. 5. Palao tr. 3. D. 4. p. 1. n. 5. Wiestner hic n. 2. Reiffenstuel n. 4.

2. à Dispensatione differt 1. quia Dispensatio semper est adversa Legi, in qua dispensat; Privilegium verò, etsi aliquando sit contra Legem, aliquando tamen etiam est præter Legem. 2. Dispensatio, ferè sine duratione, aut notabili stabilitate conceditur; Privilegium contra datur cum stabilitate aliqua, ad modum Legis. 3. Dispensatio plerumque ad unum duntaxat actum e. g. ad Matrimonium contrahendum, ad Ordinem suscipiendum &c. datur; Privilegium autem ad actus plures. Suar. l. 8. de LL. c. 2. n. 9. 10. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. 5. Wiestner hic n. 3.

3. à Gratia, vel Beneficio Principis differt; quia respectu hujus se habet ut inferius ad superius, & ut species ad genus: nam omne Privilegium gratiam, & beneficium Principis in se continet, & ex hujus favore descendit; non tamen omnis gratia, favor, aut beneficium Principis vicissim est Privilegium. Ratio est, quia de ratione Privilegii, ut paulò antea monui, est, ut ad omnem actum generis privilegiati immunitatem concedat illi, cui datum est Privilegium, quasi Legis permissionem obtinuerit, at Beneficia, Gratia &c. etiam ad unum solummodo, ut n. præc. de Dispensatione dictum est, se possunt extendere: sic absolutio ab Excommunicatione incurta est gratia, & beneficium, non tamen Privilegii rationem habet, cum per se nullum jus, vel facultatem tribuat. Suar. in c. 2. cit. n. 11. Palao p. 1. n. 5. Wiestn. n. 4.

4. à Rescripto denique differt 1. quia Rescriptum propriè dictum est Responsum Principis scriptum; Privilegium autem, ut infra n. 68. dicitur, conceditur etiam viva voce. 2. Rescriptum præcipuè tendit ad decisionem Juris dubii; Privilegium autem à Jure communi eximit. 3. Rescriptum, etsi subinde gratiam conferat, & cons. appelletur Rescriptum Gratiæ, sæpe tamen etiam est Rescriptum Justitiæ; Privilegium verò tantum est gratiarum respectu illius, cui ipsum conferatur.

Quæritur 3. an Privilegii nomine venire possit, quo nihil speciale conceditur, sed id tantum, quod Jure communi concessum jam antè fuerat? Rationem dubitandi facit duplex maxime ratio, ubi tanquam Privilegia conceduntur, quæ aliàs jam à Jure communi concessa erant. Et 1. quidem c. quia in causis 7. de Procurat. ubi Universitati Parisiensi datur facultas constituendi Procuratorem: quod tamen per Jus commune concessum est cuius Communitati, prout constat ex c. cit. & c. un. de Syndic. 2. c. etsi Christus 26. §. fin. de Jurejur. Religiosis facultas datur præstandi Juramentum suppletorium in causis propriis, si alia legitima probatio desit: quæ facultas tamen ipsis competit per Jus non solum humanum, sed etiam naturale.

Sed dicendum, esse de ratione Privilegii, ut concedat aliquid speciale, quod Jure communi concessum non erat. Ita Felin. in c. 1. de Rescript. n. 4. Abb. ibid. n. 11. Navarr. conf. 5. de stat. Monach. n. 5. Azor. p. 1. l. 5. c. 23. q. 3. Salas D. 17. sect. 1. n. 4. Suar. l. 8. de LL. c. 1. n. 4. Palao tr. 3. D. 4. p. 1. n. 2. Pirhing hic n. 2. Wiestner ibid. n. 2. Reiffenstuel n. 5. Sumitur ex c. Abbate 25. de P. S. ubi circa finem dicitur, cum privilegium sit lex privata &c. non esset autem privata Lex, nisi aliquid speciale indulgeret. Et clariùs ex cau. fin. S. si ergo. n. neque enim caus. 25. q. 1. ibi, neque enim privilegia aliquibus concederentur, si præter generalem Legem nulli aliquid speciale indulgeretur. Concordat l. nemo 1. c. de Theaur. ubi superfluum dicitur hæc precibus postulare, quod jam Lege permissum est. Ratio est, quia aliàs privilegium planè inutile foret.

Neque obstant textus in contrarium allegati; nam ut eosdem explicat Suar. l. cit. n. 7. Gonzal. in c. etsi Christus cit. n. 2. König n. 18. ijs textibus speciale aliquid concessum fuit: licet enim utrumque, quod ibi conceditur, aliàs Jure communi liceat omnibus, Francis tamen non licebat per Leges proprias experiri in Judicio sine Rescripto Principis; & Religiosis S. Benedicti per propriam Regulam prohibitum fuit ju-
rare.

rare. Igitur dum Universitati Parisiensi concessum fuit, ut constituere possent Procuratorem in Judicio, & Religiosis, ut possent deponere Juramentum supplementarium, concessum utrisque fuit aliquid, quod ipsis aliàs fuit Jure prohibitum. Si quæ aliæ concessiones reperiantur, quibus speciale nihil conceditur, verè, & propriè privilegia, non sunt, quo nomine solum veniunt *Concessiva*; sed impropriè solum, & declarativa Juris communis: vocantur tamen *Privilegia*, quia dantur ad majorem securitatem, tollendamque dubitationem, & scrupulos, quod ipsum favorem specialem, & Principis beneficium continet.

¶ I Dubitatur, an, quando dubium est, an *Privilegium* sit concessivum, an verò declarativum tantum, id intelligendum sit de concessivo, an solum de declarativo? **¶** intelligendum de *Concessivo*. Ita Abb. in c. 1. de Rescript. Felin. 10d. Azor q. 3. cit. Salas n. 4. Suar. n. 9. Hinc 1. si Episcopo concedatur facultas, & privilegium, ut testari possit, intelligi illud debet non de bonis Patrimonialibus, de quibus Jure communi testari potest, sed de Ecclesiasticis, quæ acquisivit ratione Ecclesiæ, cui præest. Palao l. cit. n. 3. & apud hunc Azor, Salas &c. 2. si detur privilegium, ut procedatur in causa, appellatione remota, intelligitur de justa appellatione; nam si injusta sit appellatio, eâ semotâ, procedere quilibet Judex potest. Palao l. cit. & apud hunc Rodric. tom. 1. Regul. q. 18. art. 3. 3. si facultas creandi novam Dignitatem in Ecclesia data Episcopo sit, censetur ita data, ut ad hoc faciendum non indigeat consensu Capituli; nam cum hujus consensu sine privilegio potest. 4. Si Princeps concedat alicui jus inquirendi, & animadvertendi in aliquos homines, intelligitur de his, in quos inquirere, & animadvertere sine privilegio non potuisset. 5. si concedatur alicui Judici potestas cognoscendi de certis delictis, de quibus cognoscere aliàs potuit, intelligitur, quòd in his etiam possit procedere, licet fama publica non præcesserit. 6. si Pontifex mandatum dedit de conferendo Beneficio in certa Ecclesia, id protenditur usque ad Canonicatum, si in ea Ecclesia non sint alia Beneficia. Idem dicendum de aliis casibus. Et ratio horum omnium est; quia aliàs *Privilegium* nihil speciale concederet, & verba gratiam continentia cæteris paribus continent tantum, quantum possunt.

¶ 2 Quaritur 4. utrum ad valorem *Privilegii* requiratur scriptura? Affirmat non obscurè *Glossa*, dum illud accenset iis, quæ in scriptis redigi debent c. Romana 1. v. in scriptis de Censib. in 6. & Rationem dubitandi

facit 1. can. contra morem 8. dist. 100. ibi, aut ex scriptis *Privilegii* se tueri. 2. Reg. 25. Cancell. ubi dicitur: Ne judicetur juxta formam supplicationum signatarum super quibusdam impetrationibus, & concessionibus, subscripto verbo *Placet*, vel *Fiat*; quia Gratia Apostolica informis censetur, & imperfecta, sed informis, & imperfecta non est ex alio defectu, quàm quòd nondum scripto sit consignata. 3. Reg. 53. aliàs apud Rebuffum 56. ubi cavetur, Dispensationem (idem multo magis procedere debet de *Privilegio*) non prodesse impetranti, nisi Litteris super ea re confectis. 4. Gregorius XIII. in Reg. 50. Cancell. sic disponit: Nulla talis Dispensatio suquam in Judicio, vel extra suffragetur, antequam super ea Littera Apostolica sint confectæ. 5. quia Officiales Pontificis possunt expeditionem Litterarum impedire, ergo signum est, gratiam nondum esse plenè consummatam ante earum expeditionem.

Sed his non obstantibus, omnino tenendum, ad *Privilegii* substantiam, & valorem regulariter non exigi Scripturam Ita Sylv. v. *Privilegium* n. 14. Suar. l. 8. de LL. c. 2. n. 2. Molin. tr. 2. de l. g. l. d. 599. n. 1. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 15. Engl. hic n. 6. Wiestner n. 8. Reiffenstuel n. 28. & unanimes coeterorum. Patet in eo, quod per Consuetudinem, vel Præscriptionem inducitur; hoc enim Scripturam habere non potest. De reliquis *Privilegiis* concessis à Principe sumitur ex can. institutionis 7. caus. 25. q. 2. Clem. 2. 7. nos etenim de Sepult. ibi, *Universa privilegia* - - - verbo, seu scripto - - - concessa: item Extrav. 5. post pr. int. comm. de Pœnit. c. Remiss. ibi, *Tam verbo*, quam in scriptis, confectis in Litteris, vel non &c. Ratio est manifesta. 1. quia totus valor *Privilegii* pendet ex voluntate concedentis, hanc autem iste manifestare non minus verbo, quàm scripto potest. 2. nemo potest arctari Lege lata à Principe contra Principis voluntatem, ergo si Princeps vult aliquem non arctare, sive verbo, sive scripto, sive alio modo id exprimat, is, quem arctare non vult, hoc ipso erit solutus à Lege. 3. *Privilegium* est quædam donatio, donatio autem perfecta est, etiam si Litteræ non expediantur, ergo &c.

Dixi autem *Regulariter*; nam excipi 14 pi 1. debent Collationes, Confirmationes, Uniones Beneficiorum, à Sede Apostolica factæ, quæ irritæ sunt, si istorum possessio apprehendatur ante Litteras expeditas, adeò, ut Beneficiatus, tanquam intrusus, & violentus possessor, fructus non faciat suos, & privetur ipsis Beneficiis obtentis. Extrav. injunctæ 1. int. comm.

comm. de Elect. junct. Const. Pauli III. incipit cum nobis, & Julii II. incipit Romani Pontificis. Azor p. 1. l. 5. c. 2. q. 5. Haun. tr. procem. n. 178. Wiestner bic n. 10. 2. Facultas non residendi in Beneficijs Curatis; nam hæc, ut valeat, ab Ordinario dari in scriptis debet, ex Decreto Trid. sess. 23. c. 1. de Reform. 3. Facultas ingrediendi Monasterium Monialium, ubi iterum opus est licentiâ Episcopi, vel Superioris in scriptis obtenta, ex Decreto ejusdem Concil. sess. 25. c. 5. de Regul. 4. designatio Judicum Delegatorum à Papa; hi enim Judicium validè inchoare non possunt, antequam Litteræ, Jurisdictionem concedentes, expendantur, per Reg. 24. Cancellar. 5. secundum aliquos non valet gratia facta alicui, ut aliquid operetur, quod alias facere non poterat, quousque expendantur Litteræ. Dixi secundum aliquos; nam Palao tr. 3. D. 4. p. 2. n. 8. putat, probabilis hoc casu scripturam ad valorem non requiri. Addidi, ut aliquid operetur; nam gratia, quæ consistit in facto solum, & non in Jure adagendum, e. g. Irregularitatis Dispensatio, aut inhabilitatis remissio, valida est etiam sine Litteris.

17 Neque contrarium probant textus, & Ratio n. 12. allegata in contrarium. Ad 1. in eo textu scriptura solum requiritur ad probationem, non verò ad usum licitum privilegii, ut patet ex verbo *tuere*. Ad 2. dum Reg. 25. Cancell. dicit, gratiam, à Pont. sine scripto concessam, esse informem, & imperfectam, intelligendum est tantum in ordine ad Judicium, ut ex illa judicetur, non autem in foro conscientie, ubi valida est, & jus impetranti dat; nam gratia quoad substantiam perfecta est per solam signaturam. Ad 3. & 4. eadem est explicatio. Neque obstat, quòd in Reg. 50. addantur verba, *In Judicio, vel extra*; quia hoc intelligi potest, quòd ex tali Signatura, nondum expeditis Litteris, Episcopus v. g. vel Parochus procedere nequeat etiam extrajudicialiter: ex quo non sequitur, quòd is, qui tali privilegio utitur, non etiam tutus sit in conscientia. Ad 5. ex eo, quòd Officiales possint impedire expeditionem Litterarum, solum sequitur, gratiam sine scripto non esse perfectam in ordine ad probationem; nam gratiæ tales Apostolicæ per Litteras probari debent, ut in Judicio externo suffragentur: quod discrimen est inter ipsas, & inter eas, quæ ab alijs inferioribus Prælatibus datæ sunt; nam istæ, si per testes sufficienter probentur, etiam sine scriptura in foro externo suffragari possunt, cum nullo Jure oppositum cautum sit. Palao p. 3. §. 1. n. 2.

16 Queritur 5. utrum ad valorem Privilegii requiratur justa causa? Rationem R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

dubitandi facit paritas cum Indulgentiis, quæ absque causa invalidè conceduntur, ex doctrina S. Thom. in *supplem. q. 25. art. 2.* S. Bonav. in 4. *dist. 20. p. 2. art. 1. q. 6.* & aliorum T. T. ferè omnium, teste P. Wiestner bic n. 12. Sed revera non est paritas; nam Papa Indulgentias concedit, non tanquam dominus, sed tanquam dispensator meritorum Christi, qui non censetur consentire in istius dispensationem, nisi salubriter h. e. ex rationabili causa facta sit. Extrav. Unigenitus 2. int. comm. de Pœn. & Remiss. Palao tr. 3. D. 4. p. 5. n. 2. Gobar. tr. de Indulg. n. 86. Wiestner n. 12. cit.

Hinc dicendum, concessionem Privilegii, etiam sine causa factam, validam esse, modò nil aliud obstat. Ita Suar. l. 8. de LL. c. 21. n. 4. Palao n. 2. cit. Pirhing bic n. 12. König n. 20. Wiestner n. 12. Reiffenst. n. 36. & alii communiter. Ratio est, quia Lex unicè à voluntate Legislatoris pendet. Igitur sicut tolli etiam sine causa potest respectu omnium, ita ab ejus obligatione certa persona, & locus eximi. Conf. concessio privilegii est quædam species donationis. atqui donatio, etiam sine causa, & prodigè facta, valet, ergo &c.

Dixi 1. *valere Privilegia*; nam, ut licitè conferantur, semper requiritur justa causa. Suar. l. cit. n. 2. Palao n. 1. Pirhing n. 12. Wiestner n. 11. Reiffenstuel n. 35. Ratio est; quia Privilegium ita concessum vel est contra Jus, vel præter Jus concessum. Si primum, repugnat Justitiæ Distributivæ, imò & Legali, quæ exigunt, ut à communi obligatione sine causa nemo eximatur. Si secundum, concessio talis sapit prodigalitatem, acceptionem personarum, & introducit improprietatem inter membra Communitatis, sicque alijs non privilegiatis dat occasionem invidiæ, & perturbationis.

Dixi 2. *modò nil aliud obstat*. Requiritur enim, ut Privilegium sit de tali materia, ut usus illis, saltem supposito Privilegio, licitus sit, & respectu aliorum vel nullum, vel moderatum gravamen contineat. Hinc 1. non valet Privilegium, datum contra Jus Naturale, vel Divinum *can. lege 1. dist. 10.* quidquid enim bonis moribus adversatur, invalidum est, etsi pactum juratum accesserit *l. non dubium 5. c. de LL.* 2. etiam non valet datum in magnum Reip. damnum, vel contra manifestam ejus utilitatem *l. jubemus 16. C. de SS. Eccl.* quia potestas dandi Privilegia Principi data est, non in destructionem, sed in conservationem Reip. Et hinc Pontifex non solet concedere privilegia adversus se, quatenus imminuunt ejus dignitatem, utpote quam non potest dividere, vel diminuire: neque illa, quæ sunt Ecclesiasticæ gubernationi contraria; quia

E

for-

foret abusus suæ potestatis, & prodigalitas, quæ in Pontifice non præsumitur. 3. etiam non valent data in grave damnum tertii, nisi bonum, quod ex privilegio dato speratur eliciendum, multò sit melius; semper enim bonorum Reip. & privatorem etiam debet curam habere Princeps.

20 *Dubitatur*, quid requiratur, ut valeat, & effectum habeat Privilegium derogatorium Juris communis, vel tertii? *2.* aliter discurrendum de Privilegio, quod derogat Juri communi, & aliter de eo, quod derogat juri tertii, vel consuetudini, aut Statuto speciali. Si privilegium sit *contrarium Juri tertii, vel statuto, & consuetudini speciali*, ut vim habeat, addi debet clausula derogatoria hujus Juris, consuetudinis, vel statuti, etiam tum, quando Princeps illud concedit motu proprio. *Suar. l. 8. de LL. c. 14. n. 8. & c. 22. n. 14. Sà V. Gratia n. 14. Palao tr. 3. D. 4. p. 10. n. 4. & sumitur ex c. licet 1. de Const. in 6.* Ratio est, quia Princeps nunquam præsumitur specialibus Juribus derogare, nisi illorum mentionem faciat, eò quòd præsumatur illa ignorare.

21 *At si Privilegium Juri communi deroget*, etsi probabile quidem sit, etiam ibi requiri clausulam derogatoriam Juris communis, cui opponitur, probabilius tamen sufficit ipsa concessio Privilegii, sine adjecta tali clausula. *Gloss. in c. licet cit. §. noscatur. Felin. in c. nonnulli de Rescript. Regul. 2. fallent. 2. n. 11. Bald. in l. item lapidi ff. de ver. divis. n. 8. Suar. 6. 14. cit. n. 4. §. 5. Palao p. 10. cit. n. 9.* Ratio est; quia Princeps non præsumitur ignorare Jus commune, sed potius illud scire *c. licet cit.* ergo dum Privilegium concedit, quod derogat Juri communi, præsumitur per privilegium velle eidem derogare; aliàs nihil omnino concederet, & efficeret actionem inutilem. *Conf. ex c. in his 30. b. tit. ubi privilegium datum FF. Prædicatoribus, & Minoribus, ut celebrare possint in Altari portatili, vim habet absque clausula derogatoria Juris communis, cui privilegium istud opponitur. Procedit hoc etiam de privilegio concessio adversus aliud privilegium insertum Corpori Juris communis, ob similem rationem; hoc ipso enim, quòd Juri communi insertum sit, præsumitur non ignorari à Principe, conf. dum privilegium adversus illud concedit, velle illi derogare.*

22 Bene tamen huic doctrinæ limitationem addit Palao *l. cit. n. 10. dummodo Jus commune non resistat*: nam si Jus commune resistit derogando, vel revocando hujusmodi privilegia, debet privilegio tali, ut effectum habeat, addi clausula derogatoria Juris communis; aliàs nullius va-

loris erit: & ratio est; quia Lex sic fortificata derogat omni privilegio, non munito clausula illius Legis derogatoriæ. igitur nisi efficacia clausulæ sic fortificantis tollatur per aliam ejus derogatoriam, privilegium, adversus Jus commune datum, habere effectum nequit. *Conf.* quia si privilegium absque clausula derogatoria valeret derogare Legi sic fortificatæ, nullius utilitatis effet ista roboratio; eodem enim modo derogaretur Legi sic roboratæ, quo modo, si roborata non fuisset. *Neque obstat*, quòd Princeps præsumatur non ignorare illam resistentiam Juris communis; nam esto, præsumatur non ignorare, quia tamen verbis communibus sine clausula derogatoria concedit privilegium, præsumi simul potest, nolle derogare Legi sic roboratæ, sed tantum satisfacere importunitati petentium.

23 *Quæritur 6. an, & quomodo promulgatio, seu notitia Privilegii ad Privilegium requiratur?* *Et 1. quidem dubitatur*, an requiratur notitia Privilegii respectu ipsius privilegiati? *Ratio dubitandi sumitur 1. ex l. consensisse 2. §. convenire 1. ff. de Judic. ubi ignorans, sibi prorogatum esse Jurisdictionem, illam defacto habet. Sed prorogatio est quoddam privilegium. ergo &c. 2. Privilegium æquiparatur Legato. Sed Legatum relictum à testatore acquiritur Legatario etiam ignoranti statim à morte ipsius testatoris l. cum pater 77. §. sardo & muto 3. ff. de Legat. 1. ergo & privilegium.*

24 *Sed dicendum*, etsi Princeps supremus privilegium possit concedere, quin privilegiatus de hoc notitiam habeat, nisi tamen hoc exprimat, nunquam illum ita ceteri concedere, sed concessionem habere imbitam conditionem, si *privilegiarius concessionem sibi factam acceptet*; & sic ante notitiam, & acceptionem Privilegii communiter non valet Privilegium, eò quòd conditio, sub qua confertur, nondum sit impleta, *Palao tr. 3. D. 4. p. 3. §. 2. n. 2. §. 3. cum aliis.* Et quidem quòd Princeps de plenitudine potestatis alicui privilegium etiam invito, & nolenti concedere possit, res indubitata est; quæ enim est repugnantia, ut Pontifex habilitet Clericum ad Matrimonium contrahendum, si causa communis id postulet; aut quæ impossibilitas, ut dispense cum illegitimo ad Ordines, etiam nolente dispensationem &c. Sicut enim hæc impedimenta Pontificis potestate inducta sunt, ita etiam ab illo auferri possunt, neque consensus, aut scientia subditi requiri ad istud debet.

25 *Quòd verò communiter Princeps Privilegium concedens non soleat ista conferre,*

ferre, nisi volenti, & acceptanti, ratio est, quia hoc expedit ad rectam gubernationem, ne Beneficia, & mercedes Principis exprobrentur, & contemnantur, néve dentur, nisi indigentibus, & petentibus. *Conf.* nam privilegium est quædam donatio, quæ absque acceptatione Donatarii non censetur habere effectum. acceptari autem non potest sine notitia. Igitur requiritur notitia privilegii accepti. Intellige, in privilegiato directo; nam in privilegiato indirecto, & per accidens non requiritur scientia, & acceptatio, ut rectè advertit Palao *l. cit. n. 9.* Unde casu, quo Privilegium concessum est alicui communitati pro omnibus ejus sociis e. g. lucrandi Indulgentias, absolvendi à peccatis &c. quilibet ex illa Communitate privilegio illo gaudet, etsi ignoret, se per privilegium hoc habere: & sic de cæteris similibus casibus. *Ratio est*, quia per quandam consequentiam, & necessariam illationem hoc privilegium in personis ignorantibus sequitur.

16 Neque obstant Rationes dubitandi allatae. Ad 1. dico mirum non esse, quòd ad prorogationem Jurisdictionis non requiratur scientia specialis, & acceptatio; quia Jurisdictio prorogata est eadem cum principali: secus aliquid contingit in Privilegio de novo concessio. Ad 2. privilegium æquiparatur Legato in eo, quòd utrumque, scilicet tam Privilegium, quàm Testamentum, quo Legatum relictum est, servandum sit: interim quodlibet ad valorem sui diversas conditiones postulat; nam Testamentum morte Testatoris firmatur, privilegium verò acceptatione privilegiani.

17 Dub. 2. an aliis quibusdam extra privilegiantium debeat insinuari Privilegium datum? *R.* distinguendum esse inter Privilegium merè favorabile, & inter privilegium, quod est odiosum. *Si Privilegium sit odiosum*, & in præjudicium Juris communis, aut alicujus tertii, opus est, ut etiam huic fiat insinuatio privilegii dati. Deciditur expressè *c. pastoralis 19. h. tit. c. cum personæ 7. eod. in 6. & c. si duobus 7. de appell.* Ratio est, quia non debet præsumi Princeps velle aliquem inscium privare jure suo, sed bonum commune, & suavis gubernatio exigit damnificatum monere, ut possit, si velit, se opponere. Neque obstat *c. quia cunctis 1. de concess. preb. in 6.* ubi ignorante Episcopo eximitur quis ab ejus Censura; nam ut bene Suar, *l. 8. de LL. c. 25. n. 30. fin.* Palao *p. 3. S. 2. n. 8.* & alii explicant, hoc intelligendum est, quando Judex non petit ostensionem Privilegii, & sufficiens tempus lapsum est, in quo potuisset illius notitiam consequi, & per illum steterit, vel casu accidit, ut non haberet.

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. N.

Si merè gratiosum sit Privilegium, 28 uti quidem illo Privilegiarius potest, quin insinuetur aliis; sed his etiam insinuari debet, ut teneantur Privilegiantium à privilegii usu non impedire. *Ratio est*, quia respectu illorum privilegium habet vim Legis, quæ ut obliget, debet esse manifestata *can. erit autem 2. dist. 4.* Non tamen requiritur notitia per publicationem solennem, nisi Privilegium universali Lege sit constitutum; sed sufficit publicatio singularis: manifestandum tamen est ostensione publici Instrumenti, vel saltem per testes omni exceptione majores, qui de concessione facta, & litteris expedita testantur, vel saltem testentur, publicè & coram omnibus privilegiantium, nemine prohibente, hætenus usum fuisse privilegio; aliàs fidem perfectam non facient in Judicio. Palao *l. cit. n. 1.* post *Sylv. Suar. Mascard. &c.*

Dub. 3. quando concessio Privilegii effectum habeat? *R.* cum distinctione: vel enim privilegium concessum est motu proprio concedentis, vel ad instantiam privilegiantium per Litteras, vel Procuratorem facta. *Si motu proprio* (idem dicendum, si ad instantiam alicujus tertii, sine mandato tamen Privilegiantium) concessum est Privilegium, regulariter effectum non habet ante acceptationem, & *conf.* ante notitiam sufficientem privilegii dati. *At si privilegiatus ipse per Litteras, aut Procuratorem pro eo antea supplicavit*, effectum per se habet à die concessionis illius, & expeditionis, seu à die date, ut ajunt, & non primum à die presentate. Ratio est, quia privilegium, ut supra dixi, se habet instar donationis, ad quam requiritur consensus utriusque, donantis, & donatarii. atqui consensus hic mutuus non adest in primo casu, cum motu proprio Princeps concedit Privilegium, nisi illud insinuetur Privilegiantio, & hic illud acceptet: adest autem in casu secundo, cum privilegiantium pro eo supplicavit, & Princeps concessit, ergo &c.

Ex quo sequitur, Privilegium in primo casu regulariter ante notitiam privilegii sibi dati nec validè, nec licitè illo uti. Dixi regulariter; nam excipitur casus, quando Princeps per se, ac motu proprio concedens Privilegium, vult illud statim habere effectum suum à die concessionis; quia hoc non excedit potestatem Principis, cum etiam Leges, sive Constitutiones possint trahi ad præterita, vel ad pendentia negotia, dummodo nominatim in iis de præteritis caveatur *c. fin. de Constit.* Accedit, quia nonnulla privilegia à privilegiato tantum auferunt onus aliquod, v. g. solvendi poenam, Decimas &c. ergo non est ratio, cur ea non possint

possint habere effectum suum illico à die concessionis, dummodo ex postfacto acceptentur à privilegiato, sicut à pari Legatum in Testamento relicum, secutà ex postfacto acceptatione, cedit, seu debetur Legatario à die mortis testatoris *l. si tibi § 6. §. cum servus 2. ff. de Legat. 1.* Reiffenstuel *hic n. 45.*

31. *Contra in casu secundo*, licet privilegiatus ignoret, privilegium sibi actu concessum fuisse, si tamen juxta privilegium operetur, validè operatur: idem dic de Dispensatione: & ratio est, quia jam accipit jus plenum. Dixi, *Validè operari*: regulariter enim non licet uti privilegio ante habitam concessionis notitiam; quia aliàs exponeret se periculo faciendi actum illicitum, vel omnino nullum. *Excipe*,

nisi probabile sit, concessum jam esse privilegium; tunc enim, urgente necessitate licitus esse potest privilegii usus absque certiore ejusdem notitia.

Quæres, quæ scientia, notitia, & acceptatio privilegii sufficiat, ut verè privilegium tibi concessum valorem, & effectum habeat? *Respondeo*, sufficere, si acceptes per te, vel per tuum Nuntium, & Procuratorem, aut per Epistolam à te missam, quâ beneficium, & privilegium petis, vel ultro datum acceptas. *Salas, suarez, Sanchez, Bonacina*, quos citat, & sequitur Palao *§. 2. cit. n. 10.* Ratio est; quia talis acceptatio sufficit ad constituendam validam, & firmam quamlibet aliam donationem. ergo & privilegium, quod, ut dixi, est quædam donatio,

S. II.

De Privilegiorum Varietate.

S U M M A R I U M.

33. Dividitur I. Privilegium in Reale, & personale.
34. Differentia istorum à se invicem.
35. Quale privilegium sit, quod concessum est Religioni, Civitati &c.
36. Vel quod conceditur persone ob aliquam illius excellentiam?
37. Unde colligendum, an Privilegium aliquod sit reale, vel personale?
38. II. Dividitur Privilegium in Gratosum, & Remuneratorium.
39. &c. An Remuneratorium possit esse Reale?
42. III. In Purum, & Conventionale.
43. An detur revera aliquid Privilegium Conventionale?
44. &c. An Privilegium Conventionale possit etiam esse Reale?
46. IV. Dividitur in concessum ad preces, & in concessum motu proprio.
47. Quid circa ista notandum?
48. 49. Quando Motus proprius tollat vitium Ob- & Subreptionis?

50. V. Aliud dicitur Privilegium absolute concessum, aliud sub conditione, & modo?
51. &c. Quando omissio operis, sub cuius onere conceditur Privilegium, irritet ejus usum?
54. VI. Aliud dicitur Clausum in corpore Juris communis, aliud datum per Rescriptum speciale.
55. 56. Differentia inter ista.
57. VII. Dividitur in id, quod est contra Jus, & in id, quod est præter Jus.
58. Differentia istorum.
59. VIII. In commune, & singulare.
60. Horum differentia.
61. 62. IX. In perpetuum, & temporale.
63. 64. X. In favorabile, & odiosum.
65. 66. XI. In Affirmativum, & negativum.
67. XII. In Privilegium pro foro conscientie tantum, & in privilegium pro foro etiam externo.
68. XIII. In scriptum, & non scriptum.
69. XIV. In concessum per se primo, & in concessum ad instar.

Privilegii, cujus natura hæcenus explicata est, sunt variaz species; nam
33. I. Dividitur in Reale, & Personale. sumitur divisio hæc ex *c. mandata 6. de præsumpt. ibi, Quas non loco tribuimus, sed persone; & l. privilegia 196. ff. de R. J. ibi, Privilegia quedam cause sunt, quedam persone.* Personale dicitur, quod proximè, seu immediatè, & directè ipsi personæ confertur in favorem illius, sive ratione ipsius personæ. Reale, quod proximè, immediatè, & directè conferretur rei à persona distinctæ. *Neque obstat*,

quod utilitas Privilegii etiam Realis ultimè redundet in personam; nam cum res inanimatæ utilitatis capaces non sint, necessarium hoc omnino est, ne inutile prorsus sit Privilegium Reale. Porro res, quibus Privilegium reale annecti solet, sunt duplicis generis; aliæ enim sunt Corporeæ ut Ecclesia, Monasterium, Castrum, fundus &c. aliæ Incorporeæ, ut Collegium, Universitas, vel alia Communitas, Episcopatus, Dignitas, Clericatus, Status Religiosus, Doctoratus, vel alia qualitas à persona separabilis. Et hinc Realia sunt Pri-

Privilegium Asylæ concessum Locis Sacris, Canonis, & Fori concessum personis Ecclesiasticis, S. C. Macedoniani concessum filiis S. C. Vellejani concessum foeminis, Restitutionis in integrum concessum Minoribus &c. Azor p. 1. l. 5. c. 22. q. 2. Suar. l. 8. de LL. c. 3. à n. 3. Wiestner hic n. 17. Reiffenstuel *ibid.* n. 15.

34 Dub. 1. in quo Privilegium personale differat à Reali? *¶* differunt inter se Privilegia ista, quòd Privilegium personale sequatur personam, & cum ea extinguatur *Reg. in omnibus 62. ff. & Reg. privilegium 7. in 6.* Reale verò adhæreat rei, & propterea tamdiu duret, quamdiu durat res, cui annexum est privilegium. Porro hæc ipsa differentia causam dedit, ut DD. inter ipsa personalia, & realia Privilegia aliquam diversitatem agnoscerent; nam aliqua ita communicantur personæ singulari, ut cum eadem etiam extinguantur; & hæc dicunt esse *Privilegia singulariter personalia*: alia ita adhærent rei, ut cum re ad hæredem transeant; & hæc appellant *strictè realia*: alia, quia videntur participare aliquid de Reali, & aliquid de Personali, vocant idcirco *mixta*.

Porro inter ipsa etiam Mixta diversitatem aliquam distinguunt; nam aliqua ita conceduntur personæ, ut fiat etiam respectus ad Statum, Dignitatem, Officium, munus, conditionem &c. ipsas adhærentem; & hæc appellant *communiter personalia*. Alia sunt, quæ conceduntur certo Corpori, sive Communitati, e. g. Religioni, Universitati, Collegio, Monasterio &c. & hæc quia adhærent Corpori, neque cum singularibus personis extinguuntur, *Corporalia* dicunt. Sed meo iudicio non videtur necesse tot distinctiones facere; nam omnia cætera, quæ cum persona non finiuntur, Privilegii realis nomine venire possunt, sive deinde adhæreant Corpori, seu Communitati, sive Statui, & conditioni, sive, loco, aut fundo.

35 Dub. 2. quale Privilegium, Reale, an Personale sit, quod conceditur Religioni, Civitati, Monasterio, Communitati &c. ita, ut non tantum Communitas quæ talis illo uti possit, sed etiam singuli, ut sunt plurima Privilegia Ordinum Religiosorum, Status Clericalis &c. *¶* esse Reale; quia licet descendat ad personas singulas, non tamen iis communicatur, quæ tales sunt, sed ob qualitatem communem sibi adhærentem, nempe quia sunt membra talis communitatis. Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 1. n. 2.* Porro ut cognoscatur, an Privilegium Communitati concessum sit ita, ut singuli uti eodem possint, an verò ita duntaxat, ut eo uti possit tantum Communitas, considerandum est, an ejusmodi Privilegium con-

cessum sit sub nomine colectivo, & expresso ipsius Communitatis, e. g. Collegii, Universitatis &c. & huic directè, ac immediatè; an verò concessum sit personis singularibus, ex quibus tale Corpus componitur. *Si primum*, censetur concessum Communitati, quatenus hæc facit unum Corpus, ita, ut non possint eo uti personæ singulares quæ tales, sed tunc solum, quando Corpus suum collegialiter repræsentant. *Si secundum*, singulis separatim competit, illòque uti possunt singulares personæ, una independenter ab altera, & sufficit incorporatas esse tali Collegio, modo exerceant artem, studium, professionem &c. ad quam tale Collegium fuit institutum. Hinc privilegii Scholarii non gaudet Studiosus, qui non studet, ut post *Abbatem*, advertit König *hic n. 17.* nec privilegii Regularium, aut sui Ordinis Religiosus factus Episcopus, ut docet *Portel Summ. Q. Q. Regul. V. Episcopus n. 4.*

Dub. 3. an Reale, vel Personale *36* censendum sit Privilegium, quod conceditur personæ ob aliquam illius excellentiam, e. g. ob labores in bello exantlatos, ob ingentem victoriam reportatam, ob singularem scientiam &c. *¶* cum Palao *tr. 3. D. 4. §. 1. n. 3.* distinguendo: Vel enim Privilegium hoc de tali materia est, ut ad hæredes, vel successores transmitti possit, vel ob incapacitatem materiæ non potest. *Si secundum*, personale est, quantumcunque verba aliud indicent; quia verba debent rebus accommodari. *Si primum*, attendenda sunt verba privilegii; nam si hæc dirigantur immediatè in rem, officium, conditionem &c. ut si dicatur, *Concedimus Præposituræ, vel Præposito Ecclesiæ Eystettensis &c.* censendum est Reale: nisi addatur aliquid, quod ad personam verba generalia revocet, ut si adderetur verbis supra relatis, *ob ejus prudentiam, scientiam, vel sanctitatem singularem &c.* tunc enim concessio personalis censi debet; quia non omnibus ejus Successoribus prærogativa ista necessaridè competunt. *Contra* pro Personali habendum est, si verba privilegii immediatè dirigantur in personam, eam exprimendo nomine proprio, vel etiam appellativo, *Concedimus tibi, semproni, vel tibi Præposito Eystettensi pro tempore existenti* Excipitur, nisi addantur verba, quæ perpetuitatem, & transmissionem privilegii ad Successores denotent, ut si dicatur: *Tibi, & Successoribus tuis &c.* Idem est, si addatur, *Tibi in perpetuum concedo hac facultatem*; nam vi hujus particulæ *in perpetuum*, ne frustra dicatur poni, ad Successores extenditur. *Neque obstat*, quòd etsi Contractus Societatis dicatur factus esse in perpetuum, tamen ultra vitam contrahentis ille non

extendatur; nam disparitas est, quia Socii non possunt hæredes obligare ad societatem *l. cum duobus 52. §. idem respondit 9. & l. adeo 59. ff. pro socio.*

37 Dub. 4. quid si neque ex materia Privilegii, neque ex forma, seu verbis ejusdem solvi dubium potest, reputandumne est esse reale, an personale? Exemplum sit formula, quâ diceretur, *Tibi Eyssetensi Episcopo concedo facultatem dispensandi &c.* nam cum verba hæc ad Dignitatem simul, & personam dirigantur, dubium meritò est, an ad personam ratione personæ, an verò ratione Dignitatis dirigantur.

Putant nonnulli reputandum esse Privilegium personale; nam duplici Præsumptione concurrente, unâ speciali, alterâ generali, prævalet specialis. sed personalis præsumptio magis specialis est, ergo pro personali in hoc dubio standum est. Sed rectius distinguunt Suar. *l. 8. de LL. c. 3. n. 18. §. 19.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 1. n. 6.* Donat. *Prax. Regul. tom. 1. p. 1. tr. 4. q. 3. n. 2.* Haun. *tr. proœm. n. 160.* Pirhing *bic n. 7.* Engl. *n. 4.* Wiestner *n. 18.* Reiffentuel *n. 16.* Vel enim privilegium omnino est favorabile, & continens merum beneficium Principis sine ullius onere, & præjudicio, & tunc censendum est esse reale, & extendi debet; quia beneficium concessum à Principe decet esse mansurum *Reg. decet 16. in 6.* & beneficium Principis plenissimè interpretari debemus *l. fin. de Constit. Princip.* Vel privilegium est odiosum, quia est contra Jus commune, vel cedit in aliorum præjudicium, & tunc in dubio censendum est personale; quia odia sunt restringenda, & quæ à Jure exorbitant, non debent trahi in consequentiam. *Reg. odia 15. & R. quæ à Jure 28. in 6.* ac proinde strictè interpretandum est, ut potius temporale præjudicium inferat, quàm perpetuum. Debet tamen hoc præjudicium grave esse; aliàs in considerationem non adducitur. *Neque obstat* Regula initio Dubii allegata; quia ut bene advertit Palao *l. cit.* hoc solum intelligitur, quando præsumptio specialis generali opponitur: secus, si in generalem transeat.

38 2. Dividitur Privilegium in merè gratiosum, & remuneratorium. *Remuneratorium* est, quod alicui conceditur in præmium meritorum vel à se, vel à parentibus, & consanguineis ejus positurum: & talia sunt pleraque Privilegia data Regularibus; quia his Summi Pont. præclara illorum merita in conversione Infidelium, defensione Fidei, administratione Sacramentorum &c. exhibita remunerari volebant. *Gratiosum* est, quod procedit ex mera liberalitate concedentis, & non ex merito, ut merito: quæ ultima verba

addo; quia, ut bene advertit Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 3. n. 1.* non obstat Privilegio gratioso, etiam in ejus concessione respiciantur merita privilegiati, modò non respiciantur ut merita, & ita, ut dans Privilegium per hujus concessionem illa velit remunerari, & quodammodo satisfacere; Porro facillè DD. conveniunt in hoc, quòd Privilegium merè Gratiosum possit esse Reale, vel Personale.

Dubium est, an Reale possit esse Privilegium remuneratorium? Barbof. *in l. quia tale 14. ff. solut. matr. n. 14.* putat illud semper ex natura sua esse personale: quod videtur etiam probare ratio; nam privilegium reale debet transire ad hæredes. Sed remuneratorium ad hæredes transire non potest; quia in his deficiunt merita, ob quæ conceditur privilegium. *Conf. ex Reg. 68. ff. ibi.* In omnibus causis id observatur, ut ubi persone conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoque deficiat: & *l. quod Principi 1. §. fin. ff. de Const. Princip.* ubi Ulpianus, *Quæ*, inquit, Princeps ob merita indulget - - - personam non egrediuntur.

Sed dicendum, Privilegium remuneratorium in dubio quidem præsumi personale, posse tamen, & sæpe etiam esse reale. Ita Suar. *l. 8. de LL. c. 4. n. 2.* Palao *§. 3. cit. n. 2. & seqq.* Haun. *tr. proœm. n. 164.* Wiestner *bic n. 20.* Reiffentuel *ibid. n. 17.* Et quidem quòd in dubio præsumendum sit esse personale, patet ex eo, quia merita, in quibus fundatur, personalia sunt. Quòd verò possit esse reale, sumitur ex natura remunerationis; licet enim de ratione illius sit, ut eam præcesserint merita, non tamen requiritur, ut hæc merita privilegiatus ipse posuerit; potest enim privilegium concedi filiis ob merita parentum & successoribus ob merita antecessorum.

Hinc cadit ratio dubitandi in contrarium allata; quia sæpe Princeps, remunerans merita per privilegium, tantum considerat relationem, quam habet is, cui conceditur privilegium, cum eo, qui posuit merita. *Ad Conf.* dico privilegium cum persona, quæ locum beneficium fecit, tunc solum deficere, quando istud ab hac dependet tam in esse, quàm in conservari. atqui ostensum est, quòd sæpe non dependeat in conservari à conditione personæ, quæ locum beneficium fecit. *Ad id,* quod additur ex *l. quod Principi cit.* dico, beneficium, quod Princeps concessit ob merita, personam non egredi per consequentiam, ut in exemplum trahi possit, prout habetur *Reg. 74. in 6.* posse tamen egredi personam, quæ posuit meritum, per intentionem ipsius concedentis privilegium, si scilicet iste ob unius merita bene-

beneficium illud velit concedere toti familia, communitati &c.

3. Dividitur Privilegium in Purum, & Conventionale. *Purum* dicitur, quod conceditur, nulla interveniente pacto, vel conventionem, ratione cuius ipsum privilegium, quodammodo emi, & compensari censetur; *Conventionale* autem, quando talis pactio, vel conventio intercedit. Suar. l. 8. de LL. c. 4. n. 9. Palao tr. 3. D. 4. p. 2. §. 3. n. 1. v. quarto. König hic n. 4. Reiffenstuel ibid. n. 19.

43. *Dubitant* aliqui, an detur revera aliquod privilegium Conventionale? Negat Bald. in l. fin. c. de liberi, n. 33. quia privilegium est gratia. Conventio autem inducit debitum, igitur sicut gratia non stat cum debito, ita nec privilegium cum conventionem. *Sed hoc non obstantem*, retinenda est sententia affirmativa, quam cum communi defendunt Suar. n. 9. cit. Palao l. cit. n. 2. Wiestner hic n. 21. quia licet de natura privilegii sit, ut sit gratia, non tamen de natura eius est, ut concedatur merè gratiosè; potest enim concedi vel merè liberalitatis, vel remunerationis etiam, five debiti tribuendi gratiâ. *Ex quo patet ad Rationem dubitandi* oppositam; quia ad privilegium sufficit, si concedat aliquid ultra id, quod iure cautum est: & hoc per se gratia est, etsi per accidens aliquando proficiatur ex debito.

44. *Majus dubium est*, an Privilegium Conventionale possit etiam esse Personale? *Et ratio dubitandi est*, quia fundatur in pacto, & non in persona, & propterea neque ab ipso concedente revocari potest, ergo videtur esse privilegium reale, & per se perpetuum. *Sed tenenda iterum est affirmativa Sententia* cum Palao n. 2. cit. & ratio est, quia concedi Privilegium Conventionale potest personæ, vel officio, limitato tempore, vel in perpetuum. *Ad Rationem dubitandi* dico, Privilegium hoc fundari in pacto, tanquam in occasione, & causa, ob quam concessum est privilegium; non verò tanquam in fundamento, cui annectatur ipsa concessio.

45. *Quare*, ut cognoscatur, an reale, vel personale hoc privilegium sit, attendenda sunt verba Privilegii, & materia, circa quam versatur. *Quod si ponderatis omnibus*, dubium sit adhuc, an reale, vel personale sit, præsumendum est esse reale. Menoch. l. 3. præsumpt. 103. n. 22. Barbof. in l. quia tale ff. solut. matr. n. 6. fin. Palao §. 3. cit. n. 5. & ratio est, quia huiusmodi Privilegium fortitur rationem Contractus, qui regulariter ad hæredes transit l. juris gentium 7. §. pactorum 8. ff. de Pact.

46. 4. Dividitur Privilegium in id, quod concessum est ad preces, vel instantiam partium, & in id, quod concessum est motu pro-

prio. *Primum est*, quod concessum est propter instantiam privilegiati, vel alterius qui ejus partes gerit, alias non concedendum. *Alterum est*, in cuius concessione Princeps à se ipso movetur independentem à qualibet alia intercessionem.

Ubi tria notanda sunt. 1. non repugnat Privilegio concessio ex Motu proprio, quod petitum sit huiusmodi privilegium, modò Princeps illud non dederit, ob petitionem huiusmodi, tanquam ob causam finalem. Menoch. de arbitr. cas. 201. n. 79. Sanch. l. 8. de matr. D. 1. n. 6. Suar. l. 8. de LL. c. 12. n. 6. §. 7. Palao tr. 3. D. 4. p. 2. §. 6. n. 1. 2. Non censetur Motu proprio concessum privilegium, nisi in ipsa concessione sic exprimat c. si motu 23. de Præb. in 6. & ratio est, quia moraliter impossibile est aliter probare, sic esse concessum. 3. Privilegium motu proprio concessum plenissimæ interpretationis est c. quomòdò 4. cum ibi notatis per Gloss. V. plenissimè de Præb. in 6. & plerumque saltem non potest argui Sub-vel Obreptionis c. si motu cit. *Contrà illud*, quod sine dicta clausula simpliciter ad preces concessum est, corrumpit propter falsa narrata, vel tacitam veritatem, quæ de Jure ac stylo Curie exprimi debuisset; subintelligitur enim semper illa tacita conditio, si preces veritate nitantur c. ex parte 2. §. alibi passim de Rescript.

Dixi *Plerumque saltem*; non enim semper clausula motus proprii in Privilegio vitium Ob-vel Subreptionis tollit: sed, ut bene advertit Palao l. cit. n. 4. §. seqq. examinandum est, an à privilegiato pro Privilegio impetrando sit facta aliqua supplicatio, vel non. *Si facta est, supplicatio*, disquirendum, an integra illa fuerit, vel diminuta, ita, ut si Princeps recessisset veritatem, non fuisset concessurus privilegium. *Si integra fuit supplicatio*, clarum est, non posse dari subreptionem. *Si diminuta*, videndum, an tacita, à supplicante fuerit veritas aliqua intrinseca, quæ substantiam rei mutat, an verò solum extrinseca aliqua, quæ rem non mutat. *Si taceatur veritas aliqua intrinseca*, v. g. si petens beneficium Ecclesiasticum taceat illud esse Regulare, vel unitum alteri Beneficio, aut Ecclesie; concessio nulla est, etsi fiat motu proprio; quia intentio concedentis fuit concedere Beneficium commune, quale fuit representatum in supplicatione, & non affectum tali qualitate, cons. ex defectu intentionis invalidum est Privilegium. *Si verò taceatur veritas aliqua extrinseca*, & rem non mutans, valida erit concessio, etsi Princeps fortè illud non fuisset concessurus, si veritatem integrè cognovisset; quia juxta communem DD. clausula *Motus proprii* vim istam habet, ut taci-

taciturnitas veritatis non vitiet gratiam, quæ motu proprio concedi dicitur, atqui si in nostro hoc casu taciturnitas supplicantis officeret, nullus dari casus alius posset, in quo valeret gratia ex taciturnitate veritatis facta, ergo &c.

49 Quodsi autem pro impetrando Privilegio nulla facta est, supplicatio, videndum, an in concessione Princeps falsitatem exprimat, vel non. Si falsitatem exprimit, videndum, an status, qualitas, circumstantia falso expressa sit, ut eanon exstante, non soleat concedi privilegium: & tunc tale Privilegium, & gratia irrita est, et si addatur clausula *Motu proprio*; quia tunc Princeps non censetur aliter concedere privilegium, nisi quatenus intelligit rem sic se habere. Si verò nullam Princeps in Rescripto suo falsitatem exprimat, et si fortè aliqua, alias exprimenda, taceat, firma est gratia, & per se loquendo nullum vitium Subreptionis habet. Dixi per se loquendo; potest enim ex aliis causis irritari: & 1. quidem, si cedat in præjudicium tertii; quia non censetur concedens juri alteri acquisito derogare, nisi illius mentionem faciat. 2. Si sit adversus constitutum municipale, & consuetudinem receptam, ob eandem rationem. 3. Si concedatur aliòquin inhabili, e. g. Beneficium Ecclesiasticum illegitimo, irregulari, excommunicato, non impetratà prius dispensatione illius impeditenti; quia clausula *Motus proprii* solum significat concedentem moveri à se ad privilegii concessionem, non verò significat se dispensare in hujusmodi impeditentis, & inhabilitatibus.

50 Aliud dicitur Privilegium absolute concessum, aliud sub conditione, & modo. *Absolute concessum* dicitur, quod conceditur sine onere Privilegiantii; *sub conditione, & modo*, quod conceditur sub conditione, vel sub onere alicujus operis efficiendi. Palao *tr. 3. D. 4. p. 3. §. 7. n. 1.*

51 *Dubitatur*, quando omissio operis, sub cuius onere conceditur Privilegium, irritet ejus usum? *vy.* cum distinctione: Vel enim opus injunctum debet antecedere usum privilegii, vel fieri id potest etiam post illius usum. *Si hoc secundum*, omissio illius non facit irritum privilegii usum; quia jam supponitur usus legitimus privilegii: sic valida est absolutio à reservatis, quam obtinuisti cum obligatione comparandi, et si obligationi huic postea non satisfacias, quamvis omittendo pecces.

52 *Si primum*, irritus est privilegii usus, si opus ejusmodi omittatur; censetur enim privilegium concedi sub conditione illius operis, quæ cum non impleatur, privilegium ex intentione concedentis nullum est. Palao *l. cit. n. 2.* qui *n. 3.* infert, si

detur privilegium dispensandi absolvendi; puniendi aliquem cum consilio alterius, nullam esse abolutionem, dispensationem &c. si consilium omittas petere; nam consilium ex natura sua antecedit actum. Igitur cum secundum dicta omissio operis, sub cuius onere concessum est privilegium, irritet ejus usum, quando illud antecedere deberet usum, pariter irritus erit in nostro casu usus Privilegii, si non antea ad hoc petitum fuit consilium.

Dixi, *Si consilium omittas petere*; quia sequi non teneris, nisi addatur, *Cum consensu illius, à quo consilium petitur.* Ratio est, quia non semper juberis consilium sequi, quando juberis illud postulare: atque hinc si in casu posito petas quidem consilium, sed consilium datum non sequeris, adhuc valebit actus.

6. Aliud Privilegium dicitur *Clausum* in corpore Juris communis aliud *Datum per Rescriptum speciale.* Prius est, quod inter alias Leges Corpori Juris inferuntur est: & talia sunt Privilegia Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum, quæ passim habentur tam in Corpore Juris Canonici, quam Juris Civilis, præsertim *c. de SS. Eccl. item C. de Episc. & Cler.* Neque obstat quòd privilegium sit Lex privata, ut dictum est *n. 2.* & propterea distinguatur à Lege communi, quòd hæc pro omnibus lata sit, cum Privilegium certarum solum personarum favorem respiciat; hoc enim nihil impedit, quo minus Lege communi contineatur, sed aliquando etiam valde utile est, ut sic ejusmodi Privilegium sciatur ab omnibus, & privilegiati ab ejus usu non impediuntur. *Aterum* privilegii genus, scilicet *datum per speciale Rescriptum* est, quod extra corpus Juris certæ alicui personæ communitati, vel loco, specialiter per Litteras, Diploma, Bullam, vel Indultum concessum est.

Differunt inter se 1. quòd Privilegium clausum in Corpore Juris Judex ignorare non debeat, vel saltem non præsumatur: & idcirco si contra tale privilegium ipse privilegiato injungat comparisonem in Judicio, vel quid aliud, privilegiatus non tenetur obedire, vel comparere, aut de comparisonem se excusare *c. sanè 5. & c. cum ad quorundam 7. de Excess. Prælat.* At si Judex mandet, vel aliquem citet contra privilegium specialiter datum, & positum extra Corpus Juris, privilegiatus tenetur comparere saltem pro reverentia Judicis, & privilegium suum exhibere *c. cum persona 7. b. tit. in 6. & l. siquis 5. ff. de Judic.* quia cum sit facti, ignorari potest à Judice.

Differunt 2. quia Privilegia extra Corpus Juris plerumque sunt temporalia, & strictæ interpretationis, nec extenduntur extra personas, quibus concessa sunt; clau-

clausa verò in Corpore Juris ordinariè sunt perpetua, & recipiunt interpretationem, & aliquando ex paritate rationis extensionem, sicut ipsæ Leges communes. Engl. hic n. 2. & deinde, König *ibid.* n. 2.

57 7. Dividitur Privilegium in id, quod est contra Jus, & in id, quod est præter Jus. Contra Jus dicitur illud, quod derogat Juri communi, ut est exemptio à solvendis Decimis, à Jurisdictione Ordinarii &c. Ultra, vel præter Jus dicitur esse, quod concedit favores peculiares in Jure non expressos, veluti est potestas absolvendi à reservatis, dispensandi &c. Sannig *hic* c. 1. n. 4. Engl. n. 5. Reiffenstuel n. 7.

58 Differunt 1. quia privilegium contra Jus dicitur propriè Privilegium arg. l. Jus singulare 16. ff. de LL. ibi, Jus singulare, (quo nomine intelligitur Privilegium) est, quod contra tenorem rationis (scilicet contra rationem Juris communis, seu Legis) propter aliquam utilitatem auctoritate constituentium introductum est. Contra Privilegium præter Jus non est ita strictè privilegium, sed potius dicitur beneficium Principis, seu gratia ab isto concessa præter Jus. Reiffenstuel n. 8. 2. differunt, quia privilegium contra Jus commune est strictè interpretationis arg. c. porro 7. & c. sanè 9. b. tit. Privilegium verò præter Jus, cum sit mera gratia, & beneficium, latè interpretari debet. Reiffenstuel n. 9.

59 8. Dividitur in privilegium Commune, & Privatum, seu singulare. Commune dicitur, quod primò, & per se respicit bonum Communitatis, cui conceditur, licet in istius membra etiam redundet, ut sunt privilegia Canonis, & Fori, & Competentiæ, concessa toti Ordini Ecclesiastico. Privatum, seu Singulare, quod primò, & per se respicit bonum personarum particularium, licet mediè etiam ipsum spectet bonum commune, cujus interest v.g. imbecilles defendi, bene meritos remunerari &c. & tale privilegium est beneficium restitutionis in integrum concessum minoribus &c. Abb. in c. si diligenti 12. de for. compet. Suar. l. 8. de LL. c. 6. n. 1. Palao tr. 3. D. 4. p. 2. S. 4. n. 2. Haun. tr. procem. n. 168. Wiestner *hic* n. 24. Reiffenstuel *ibid.* n. 22.

60 Differunt præcipuè in hoc, quòd privilegio Communi à privatis renuntiare nequeat; possit autem privilegio singulari, regulariter loquendo: cujus discriminis ratio hæc est, quia favori pro se principaliter introducto quilibet renuntiare potest. talis favor est privilegium singulare, non autem commune, ergo &c. Addidi autem Regulariter; nam si renuntiatio Privilegii singularis cederet in præjudicium alterius, neque ipsi renuntiare potest. Suar. n. 4. cum cit.

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

9. Dividitur in Perpetuum, & 61 Temporale. Perpetuum dicitur, non quasi amitti non possit, sed quia ex se, & nisi revocetur, durat perpetuò: & talia sunt, quæ vel absolute, & sine limitatione temporis alicui conceduntur, vel adherent rei ex se perpetuæ, ut est Privilegium concessum Ecclesiæ, Ordini Religioso, Statui, vel Dignitati cæteræ &c.

Temporale verò est, quod de se 62 tempore limitato finitur. Hoc tripliciter fieri potest. 1. Ex parte ejus, cui conceditur, si scilicet concedatur personæ tantum, etiam ad tempus vitæ; nam comparatione facta ad Privilegium reale perpetuum, temporale est, & finitur cum persona. 2. Ex parte concedentis, quando conceditur pro sola concedentis vita, vel pro limitato aliquo tempore. 3. Ex parte ipsius Privilegii, si concedatur sub aliqua conditione, quæ lapsu temporis finitur. Suar. l. 8. de LL. c. 5. n. 1. Palao tr. 3. D. 4. p. 2. S. 2. n. 1. S. 2. Sannig *hic* c. 1. n. 5. Puring n. 2. Reiffenstuel n. 18.

10. Dividitur in Favorabile, & 63 Odiosum. Favorabile est, quod ita favorem continet, ut nemini incommodum afferat: tale est privilegium audiendi Missam tempore Interdicti, vescendi lacticiniis, & carnibus in Quadragesima faciendi Testamentum sine Juris solemnitate &c. Odiosum dicitur, quod ita favet 64 privilegio, ut simul alteri afferat præjudicium: & tale est privilegium, quo eximitur aliquis solvendis Decimis; nocet enim illi, cui aliàs debebantur Decimæ, etsi profit habenti hanc exemptionem. Azor p. 1. l. 5. c. 23. q. 2. Suar. l. 8. de LL. c. 6. n. 5. Bonacin. D. 1. q. 3. p. 1. n. 21. Palao tr. 3. D. 4. p. 2. S. 4. n. 3. König *hic* n. 5. post Baid. Abb. Trauell. &c.

11. Dividitur in Affirmativum, & 65 Negativum. Affirmativum est, quod facultatem concedit, ad aliquid efficiendum. Negativum, quod concedit facultatem ad omittendum.

Differunt inter se. 1. quia Negativum 66 semper est contra Jus certum, vel dubium, dum potestatem dat omittendi, ad quod ponendum obligantur de Jure cæteri: Affirmativum verò aliquando est contra Jus, aliquando præter Jus; consistit enim in actione, quæ potest esse Juri communi adversa, vel saltem ab illo non concessa. 2. Differunt, quia negativum semper est oppositum præcepto affirmativo; Affirmativum non semper oppositum est præcepto, & cum opponitur, negativo opponitur. Suar. c. 6. n. 9. Palao S. 4. n. 1.

12. Dividitur in Privilegium pro foro 67 conscientie tantum, & in Privilegium pro foro etiam externo. Primum prodest habenti solum in foro interno; nam in

externo se gerere debet, ac si privilegium non haberet. Alterum prodest in foro utroque, externo, & interno, ita, ut qui secundum id operatur, in utroque foro securè operetur. Suar. c. 6. n. 11. Palao §. 5. n. 4. Et hinc sequitur, prout bene cit. Palao notat, quod privilegium datum pro foro externo concedat publicum usum sui; datum verò pro interno duntaxat foro concedat solummodo usum sui occultum, minime infervientem pro foro Judiciali externo.

13. Dividitur in Scriptum, & non scriptum. Non scriptum est, quod verbotenus à Principe concessum, vel præscriptione, aut legitima consuetudine est inductum. Scriptum est, quod per Scripturam conceditur. Porro hæc Scriptura debet esse authentica, & ob signata Sigillo Principis, ut fidem faciat in foro externo. Ut verò Privilegium in Transumpto fidem faciat, olim necesse erat citari partem, cujus interest, ut compareat ad

contradicendum, quemadmodum advertit Covarruv. qq. pract. c. 2. circ. fin. Rodriq. qq. Reg. 8. art. 16. Palao §. 5. n. 1. defacto tamen, ut cit. Palao notat, post Clem. 7. ferè semper in omnibus Privilegiis, specialiter quæ Religionibus conceduntur, solet apponi clausula, ut transumptis etiam impressis habeatur fides integra, modò sint manu Notarii publici subscripta, & Sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constituta munita.

14. Denique aliud est privilegium cuiuspiam per se primò specialiter concessum, aliud concessum ad instar. Illud est, quod cuiuspiam conceditur sine ordine, ac respectu Privilegii prius alteri concessi. Illud verò, quod conceditur ad instar Privilegii prius alteri concessi i. e. eo modo, ac forma, sub qua illud alteri convenit: qualia Privilegia complura conveniunt Religionibus, communicationem Privilegiorum habentibus. Reiffenstuel hic n. 20.

§. III.

De Modis acquirendi Privilegia.

S U M M A R I U M.

70. &c. Quis concedere privilegia, possit?
73. &c. Cui concedi illa possint?
77. &c. Quomodo communicentur privilegia?
79. &c. Quid requiratur, ut privilegium concessum ad instar valeat?
83. &c. Quenam privilegia participantur per communicationem?

87. &c. Quomodo Regulares inter se participant privilegia?
94. &c. An per Consuetudinem, vel Prescriptionem acquiri privilegium possit?
96. An sub revocatione privilegiorum comprehendantur etiam ea, quæ consuetudine, vel prescriptione sunt comparata?

TRIBUS modis acquiri Privilegia possunt, 1. Per ipsam actualem concessionem Superioris. 2. per Communicationem. 3. per Præscriptionem, aut consuetudinem legitimam.

Quæritur 1. quid intelligatur nomine concessionis? 2. per concessionem intelligi actum, quo simpliciter, & sine respectu ad aliud privilegium præexistens jus singulare conceditur. König hic n. 11.

Dub. 1. quis, concedere Privilegium possit? 2. omnis, & solus ille, qui Legem potest condere. Sylv. V. Privilegium q. 2. Suar. l. 8. de LL. c. 8. n. 2. Azor. p. 1. l. 5. c. 22. q. 3. Salas D. 17. sect. 3. à n. 17. Bonac. D. 1. q. 3. p. 3. n. 1. Palao ir. 3. D. 4. p. 4. n. 1. Begnud. V. Privilegium n. 10. Gonzal. in c. si de terra 6. b. tit. n. 4. Engl. hic n. 9. König n. 10. Wiestner n. 5. Reiffenstuel n. 25. Ratio est, quia Privilegium est Lex privata, & privilegiatum sæpe ab observatione Legis communis eximit, ceteros verò obstringit, ne ipsum impediatur ab usu privilegii. At-

qui obligationem præcipiendo, vel prohibendo imponere, & à Juris communis observatione aliquem eximere Legislatore inferior nequit arg. can. inferior 4. dist. 21. & c. cum inferior 16. de major. & obed.

Dub. 2. Quis in specie conferre Privilegium possit? 2. 1. concedere privilegium potest Summus Pontifex: & quidem in materia spirituali indistinctè in toto terrarum Orbe; circa temporalia verò directè, & per se in suo territorio tantum, ubi dominium habet temporale: in Laicorum autem ditonibus solum indirectè, quatenus videlicet opus est per ordinem ad Spiritualia, Palao n. 1. cit. 7. quocirca, Pithing n. 9. hic, König n. 10. Reiffenstuel n. 26. Et hoc verum est non tantum de Privilegio concessivo ultra Jus commune, sed etiam de dispensativo in Jure communis nam Pontifex Legem Ecclesiasticam sibi subiectam habet simpliciter: Civilem verò eatenus, quatenus opus est ad bonum commune Ecclesiæ.

2. Pri-

72 2. Privilegia conferre possunt Episcopi, & alii Praelati Papae inferiores per c. cum olim 14. h. tit. sed magis limitate; nam dispensare solum possunt in Legibus a se conditis, vel a suo antecessore, non vero contra Jus commune, nisi quatenus hoc illis, vel de Jure, vel de consuetudine concessum est, Suar. c. 8. cit. n. 9. cum reliquis supra.

3. Dubium non est, Privilegia conferre posse Imperatores, Reges, & Principes temporales in sua materia, & ditione; cum enim habeant supremam potestatem ferendi Leges, etiam Privilegia possunt concedere.

Alii inferiores Magistratus autem, qui superiorem in temporalibus recognoscunt, privilegia, sicut & Leges dare possunt solum in ijs, in quibus hoc ipsis conceditur a Superiore, Suar. n. 11. Pirhing n. 9.

73 Dub. 3. quibus concedi Privilegia possunt? Putant aliqui, non posse privilegia concedi, nisi subdito concedentis, ex ratione; quia privilegium est quaedam Lex, quae non fertur nisi pro subditis: item saepe eximit ab obligatione Legis, quae non afficit, nisi subditos.

74 Sed distinguendum est inter privilegia, quae sunt contra Jus, & dispensativa Legis, & inter ea, quae sunt praeter Jus, & mere concessiva gratiae. Primi generis Privilegia dari non possunt, nisi subditis, qui Lege arcantur: & ratio est, quia dispensatio est actus Jurisdictionis voluntariae, quae non nisi erga subditos exerceri potest; supponit enim potestatem ferendi Legem, & praecipuum obligans illum, quem eximit dispensando. Palao tr. 3. D. 4. p. 4. n. 2. Wiestner hic n. 7. Reiffenstuel n. 27. Excipitur, nisi Lex illa, contra quam privilegium datur, talis sit, ut ea obligentur etiam extranei, qui in tali territorio versantur, qualis est Lex imponens vectigal, prohibens exportationem mercium, vel usum certorum armorum, praescribens certam formam Contractui &c. nam contra ejusmodi Leges privilegia concedi possunt etiam extraneis, & si indigenis tale privilegium concessum sit, eo un etiam non subditi possunt.

75 Secundi generis privilegia concedi possunt etiam non subditis, Suar. l. 8. de LL. c. 9. n. 4. Palao n. 2. cit. Engl n. 9. Pirhing n. 10. cum cit. Ratio est, quia talis privilegii concessio est actus mere liberalitatis. Sicut ergo quivis, etiam non subditus, capax est donationis, ita & privilegii hujusmodi gratiosi. Debet tamen privilegium ita datum esse de materia subiecta Principi danti privilegium, & circa quam subditos ille potest cogere, ne privilegium ab usu privilegii impediatur. Et

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II,

talia privilegia frequentissime conferuntur non subditis; nam ita Imperator Theodosius, ut refertur can. quicumque 35. caus. 11. q. 1. concessit Judicibus Ecclesiasticis, ut possint cognoscere, & directè judicare causas temporales Laicorum, quod Jure communi ipsis non est concessum: ita ab Imperatore saepe conceditur, & concedi potest externis privilegium scribendi militem in terris Imperii, invehendi merces in Provinciam &c. ita Ecclesiis, & Ecclesiasticis tum Jure communi, tum speciali Diplomate concessa sunt multa privilegia &c.

Ad rationem in contrarium allatam 76 privilegium est Lex, non respectu privilegii (nam huic per privilegii concessionem obligatio nulla imponitur) sed respectu ceterorum Legislatori subditorum, quos obligat, ne illum impediatur ab usu privilegii sui. Ad Conf patet ex dictis; nam ab ijs Legibus, quibus obligantur etiam extranei, per privilegium ipsi eximi possunt.

77 Quæritur 2. quomodo communicentur privilegia? n. communicari possunt dupliciter, per extensionem ejusdem privilegii, & per concessionem similis, quod idcirco privilegium ad instar dicitur. Primo modo communicatio privilegii fit, quando unum privilegium, & idem, quod aliquibus personis antea concessum erat, ad alios aequè extenditur, illos quasi aggregando ceteris, qui antea gaudebant eo privilegio: & tunc si augetur, vel minuatur privilegium in his, quibus fuit primò concessum, augetur, & diminuitur in omnibus aliis; quia omnes aequè primario privilegio illo gaudent.

78 Secundo modo communicatio privilegii, & ad instar dicitur; cum ad exemplum, & similitudinem alterius concessum est, ut si Princeps dicat: Concedo tibi privilegium idem, quod concessi Sempronio. Hoc iterum fieri duplici modo potest. 1. non per se, & non aequè principaliter, sed quasi accessorie, & dependenter ab eo, cui concessum fuit primò, & principaliter, quo modo privilegia Religionum saepe communicantur earum familiaribus, Dominorum servis, Religiosorum Monialibus; quo casu si augetur, restringitur, vel revocatur privilegium in persona eorum, quibus concessum est principaliter, necessariò augetur, restringitur, aut revocatur etiam in persona eorum, quibus communicatum est minus principaliter; non autem vicissim: & ratio est, quia accessorium sequitur ad principale. Reg. accessorium 42. in 6. 2. concedi privilegium ad instar potest directè, per se, & aequaliter, ita, ut is, cui communicatur, eo uti possit eodem modo, quo prior poterat, & ipsum privilegium fiat ejus proprium, non minus, quam si tali

F 2

per-

personæ, vel loco fuisset primò concessum: & tunc si augeatur, restringatur, aut revocetur privilegium illi, cui prius datum fuit, non augetur, restringitur, vel minuitur illud aliis, quibus deinde *ad instar* concessum est; quia tali casu utrumque stat per se, ut re ipsâ distinctum, & licet sit ad instar prius concessi, ab hoc tamen non dependet, sed illud tantum fuit adductum in exemplum, & similitudinem ad determinandam voluntatem concedentis.

79 Dub. 1. quid requiratur, ut Privilegium concessum *ad instar* valeat? R. prater ea, quæ §. 1. dixi, requiri ad valorem cujuscunque privilegii, ad valorem Privilegii *ad instar* requiritur necessariò, ut privilegium illud, ad cuius similitudinem concessum est, valorem, atque effectum habeat, & verè sit privilegium; aliàs concessio erit nulla. Suar. l. 2. de LL. c. 15. n. 6. Bonac. D. 1. q. 3. p. 7. n. 10. Palao tr. 3. D. 4. p. 2. §. 8. n. 2. Ratio est, quia cum privilegii ad instar totum esse sit illud aliud, sequitur, si illud effectu careat, etiam privilegium ad instar effectu cariturum.

80 Sufficit autem, si effectum, & valorem habeat eo tempore, quo confertur beneficium, seu privilegium ad instar illius: & hinc etiam deinde per non usum, vel revocationem Superioris aboleatur privilegium illud prius, non id circo cessat privilegium ad instar, nisi accessorè duntaxat concessum sit; cons. et si Religio, cui primò concessum est privilegium aliquod, per non usum fortè illud amiserit, adhuc tamen aliæ Religiones, quæ communicant in eo privilegio, uti eodem poterunt. Ant. à S. Spirit. Direct. Reg. tr. 1. D. 1. sect. 3. n. 51. Englich. n. 11. Puring. n. 26. Responst. n. 69.

81 Imò existimat Palao §. 2. cit. n. 4. valiturum probabiliter privilegium tuum, si hoc tibi concessit princeps ad instar illius quod habet Petrus, etsi illud Petrus non usu, vel renuntiatione amiserit, modo privilegium Petri fuerit aliquando validum, & firmum: *Rationem* dat, quia videtur facta concessio privilegii ad similitudinem illius, quod Petro aliquando concessum est, neque censetur princeps aligare velle valorem recèns concessi privilegii valori præsentis, quem habet privilegium Petri, sed præterito.

82 Addit idem Palao cum Felino, Mandoso, Suarez, Bonacina, et si privilegium, ad instar cuius princeps concedit aliud, nunquam fuerit validum, & firmum, quia re ipsa concessum non est, si tamen Princeps in concessione sufficienter exprimat, quid concedat, e. g. *Concedo tibi hanc, vel illam potestatem dispensandi in Votis &c. sicut habet Petrus*, probabilis privilegium ad instar concessum non fore nullum; quia

illud, *Sicut habet Petrus*, non videtur apponi ut conditio, sed solum ut exemplum. Atque hinc disparitas est inter datum ad instar, quando simul explicatur, quid concedatur in privilegio, & inter datum ad instar, non expresso modo communicationis; nam hoc secundum necessariò nullum est, cum nesciat privilegiarius, quid ipsi concedat dans privilegium, nisi privilegium, ad instar cuius datur, existat.

Dub. 2. quænam privilegia participari possunt per *Communicationem*? R. considerandum, an communicatio fiat absolute, & pariformiter, an solum limitate, & ex parte. Si hoc secundum, quantum communicetur ex privilegio prius concessio alteri, id desumendum est ex tenore privilegii cum tali limitatione concessi. Si primum, is, cui facta est talis communicatio, participat omnia privilegia & eodem modo, quæ, & quo modo defacto alter habet, vel habuit ille, cuius privilegia participantur. Excepi tamen debent 1. privilegia quæ post communicationem acquiruntur ab eo, cuius privilegia communicantur, nisi communicatio expressè extendatur etiam ad futura. König hic n. 12. cum aliis. 2. privilegia omnia extraordinaria, quæ Princeps non videtur in specie concessurus, ut ex Ant. de Butr. vol. 19. notat Fagnan. in c. iurium 11. h. in. n. 24. 3. privilegia localia, ut quæ censentur ad certum locum restricta; itera illa, quæ ob certam, & specialem causam, seu respectum data sunt; aut quæ in eos, quibus sit communicatio, propter defectum certæ qualitatis non quadrant. Donat. Privil. Reg. p. 1. tr. 7. q. 14. §. 15.

Dub. 3. Si concedatur alicui Beneficium, Canonatus, Cathedra &c. his terminis *Concedo tibi, sicut habuit tuus antecessor*, an succedat ille non solum in ijs, quæ Jure Ordinario Beneficio, vel Canonatu annexa sunt, sed etiam in in privilegiis personalibus, si fortè illa habebat antecessor. Ratio dubitandi est, quia in privilegiis personalibus non datur successio, sed illa cum persona extinguuntur.

Sed dicendum, si modus concessio- nis novus sit, & antea non usitatus, credi debere, quod Princeps concedere voluerit Canonatum, & præbendam, non tantum cum his, quæ Jure ordinario ei erant annexa, sed etiam, quæ ex particulari privilegio eidem annexebantur; quia aliàs ille specialis modus, & forma concessionis frustra esset appositus. Et ita contra Barbof. in l. quia tale ff. solut. matr. n. 1. docet Suar. l. 2. de LL. c. 15. n. 11. Palao tr. 3. D. 4. p. 2. §. 8. n. 5. qui ita decisum narrat in casu Cantoræ Compoffellanæ Ecclesiæ, quam Ludovicus Henriquez obtinuit simul cum alio quodam Canonicæ

nicatu. Post hujus mortem frater ejus Antonius de Castro petit à Pontifice utramque præbendam, eo modo, quo frater ejus obtinuerat. Cùm annuisset Pontifex sub clausula, *Sicut prædecessor suus obtinuit*, dubitatum fuit, an vi istius clausulæ fuerit dispensatum tantum super utraque præbenda, an simul super Cantoria uni earum annexa, & decisum fuit secundum in favorem supplicantis.

86 *Ad rationem dubitandi dico*, per se loquendo quidem non dari successiorem in privilegijs personalibus, posse tamen voluntate Principis etiam ipsa transferri in Successorem; si enim de novo dare privilegium potest, cur non datum ad Successorem extendere?

87 Dub. 4. an, & qualis communicatio privilegiorum defacto detur inter Regulares? hoc pendere ex mente, & voluntate Pontificis.

Defacto Mendicantes per Bullam Leonis X. generalem inter se communicationem privilegiorum habent, & per alias Bullas etiam cum non Mendicantibus, ut videre est apud Tambur. *D. 17. q. 2. n. 8.* De non Mendicantibus videnda sunt specialia Decreta Pont.

88 Universim circa communicationem privilegiorum datam Ordinibus Religiosis notandum 1. non communicari privilegia unius Religionis alteri, si ex ejusmodi communicatione observantia Regularis labefactaretur, *Rodriq. tom. 1. Reg. q. 55. art. 2. Suar. l. 8. de LL. c. 17. n. 3. Palao tr. 3. D. 4. p. 2. S. 9. n. 2.* Ratio est, quia Pontifex per concessionem hujusmodi communicationum non intendit Religionem destrui, sed fovere. Hinc Privilegia Ordinum militarium habendi proprium, testandi &c. non communicantur cæteris non militariibus.

89 2. Ut privilegia, de quibus caveatur, ne alijs communicentur (sicut fit in Bulla Gregorii XIII. incipit *Satis*, *superque*, & in Bulla Gregorii XIV. quoad aliqua privilegia Societatis JESU) concessa per communicationem censeantur alijs, necessaria est specialis clausula, quæ deroget huic prohibitioni; alijs non censebuntur communicata, *Suar. l. cit. n. 8. Palao n. 3.*

90 3. Religiosi aliorum Ordinum, quibus communicantur privilegia Societatis JESU, privilegijs sibi communicatis uti possunt, quamvis per suos Præpositos non fuerint ipsis communicata; quia licet hoc non possint Religiosi Societatis per Bullam Gregorii XIII. incipit *Ad futurum*, restrictio tamen illa solùm adjecta est ob specialem modum, quem habet Societas in suo Regimine, & cons. non urget in Religiosis aliorum Ordinum, in quibus non est hic specialis modus. *Rodriq. q. 55. cit. art. 17. v. secundum dubium, Suar. n. 6.*

Palao n. 4. Reiffenstuel *hic n. 68. Excerptur*, nisi talis restrictio addatur ipsi privilegio ad coarctandum ejus favorem; hæ enim limitationes procul dubio communicantur alijs Ordinibus, cùm non communicent majorem favorem, quàm sit datus à principali concessione. *Herinx D. 4. de LL. q. 6. n. 28. Reiffenst. l. cit.*

4. Privilegia, gratiæ, & Indulgentiæ, concessa alicui Religioni in honorem aliquorum Sanctorum sui Ordinis, transferuntur ad omnes Religiones, quæ cum illa Religione in privilegijs communicant, hac proportione servata, ut sicut prima Religio in Festo e. g. sui Fundatoris proponere fidelibus Indulgentias potest, ita etiam cætera proponere Indulgentias similes possint in Festivitate suorum Fundatorum &c. hoc enim operatur illa communicatio privilegiorum, *Rodriq. l. cit. art. 20.* adducens Bullam Julii II. in quodam fuit declaratum, *Suar. n. 7. Palao n. 3.*

5. Communicantur tantum privilegia communia toti Ordini, stabilia, & quæ huic concessa non sunt ob rationem aliquam specialem. Hinc 1. privilegium concessum uni Religioso non communicatur alijs Religiosis; quia talia privilegia sunt personalia, & in alijs plerumque cessat ratio concessionis v. g. prærogativa meritorum, personæ habitas &c. *Reiffenstuel n. 60. 2.* non communicantur privilegia concessa aliquibus Ecclesijs ad tempus determinatum, ut sunt Indulgentiæ per tot, & tot annos concessa in honorem alicujus Sancti. *Ant. de S. Spir. Direct. Reg. tr. 1. tr. 1. sect. 3. n. 42. Donat. p. 1. tom. 1. D. 7. q. 14. § 15. Reiffenst. n. 61.* 3. id ipsum juxta *cit.* & alios DD. afferendum est de privilegijs, quæ concessa sunt ob aliquam specialem rationem, ut quando Indulgentia concessa est uni loco speciali, quia ibi est Imago B. V. Mariæ in magna veneratione fidelium, Et ob hanc causam communiter tenent DD. vix uno, vel altero excepto, Indulgentiæ Portiunculæ non communicantur Ecclesijs aliorum Ordinum præter Ordinem S. Francisci. Idem afferendum de Altaribus privilegiatis ob specialem rationem talis Altaris. *Reiffenstuel n. 62.*

6. Si communicationi addantur no va quædam privilegia, non propterea isdem gaudebit Religio, aut privatus, cujus privilegia communicata sunt; quia dari possunt secundo privilegiato sine respectu ad primum: unde ad hunc effectum necesse est, ut communicatio sit mutua; alijs tenebit Regula generalis, quod privilegia ultra personas, vel res expressas extendi non debeant, *Engl. hic n. 11.*

Queritur 3. an per Consuetudinem vel Præscriptionem acquiri privilegium possit? R. affirmative. Colligitur ex

6. *novi 13. junct. Gloss. V. consuetudinem de Judic. ubi Innoc. III. consuetudinem æquiparat privilegio: idem habetur can. conquestus 8. caus. 9. q. 3. & c. super quibusdam 26. §. preterea de V. S. & que teste Palao tr. 3. D. 4. p. 2. §. 5. n. 2. doctrina communis omnium. Probatur ratione: nam privilegium vel est contra Legem, vel præter Legem, primum acquiri potest per consuetudinem communem, & legitimè introductam; quia hæc abrogare Legem in totum potest, igitur multo magis ex parte illi derogare, seu specialem facultatem concedere aliquid agendi contra communem Legem.*

Alterum obtineri potest etiam per consuetudinem privatorum, seu præscriptionem legitimam; nam per ejusmodi consuetudinem, quæ inducitur viâ præscriptionis, acquiri potest Jurisdictio & duo simul 9. & ibi Gloss. V. consuetudo de Offic. Jud. Ordin. item jus exigendi Tributa, & Pedagia c. super quibusdam cit. & ibi Gloss. V. non extat memoria. cur non alia privilegia?

95 Neque ad hujusmodi consuetudinem, vel præscriptionem requiritur consensus Principis alius, quàm qui datus est c. fin. de consuet. & l. de quibus 32. ff. de LL. Requiritur tamen certum tempus, in quo

designando non conveniunt DD. Aliqui immemorabile assignant: sed hi denotasse videntur tempus sufficiens universim; nam minori etiam tempore induci per consuetudinem, vel præscriptionem privilegia possunt: quod varium est pro qualitate rei præscribendæ, & illius, contra cujus Jura præscribitur. Contra Ecclesiam 40. annorum spatium privilegium, vel exemptio aliqua præscribi potest, contra privatos 30. imò contra hos aliquando sufficit decennium. Videantur ea, quæ dicta sunt ad Libr. 1. tit. 4. de Consuet. & ad Libr. 2. Tit. 26. de Præsript.

Dubium est, an, quando revocatur alicui privilegia, etiam revocentur ea, quæ consuetudine, vel præscriptione comparata sunt? ⁹⁶ negativè. Ita Salas D. 17. scilicet. 2. n. 22. Suar. l. 8. de LL. c. 7. n. 15. Bonac. D. 1. q. 3. p. 1. n. 3. Palao §. 5. cit. n. 3. Ratio est, quia licet etiam ipsa sint verè privilegia, quia tamen nomen privilegii communiter sumitur pro privilegio specialiter dato à Principe, idcirco ea, quæ consuetudine, vel præscriptione acquiruntur in materia odiosa, qualis est revocatio, hoc nomine venire non debent, sed solum tunc, quando sermo est de aliqua extensione favorabili.

§. IV.

De Privilegii Usu, Interpretatione, & Extensione.

S U M M A R I U M.

97. &c. *Utrum privilegiatus teneatur uti privilegio suo?*

100. &c. *Utrum possit illo uti contra alium pariter privilegiatum?*

106. &c. *In quo loco possit privilegiatus uti privilegio suo?*

114. &c. *Quam vim, & efficaciam in ordine ad usum privilegii habeant verba Ex certa scientia?*

117. &c. *Quenam Regule servande sint in Privilegiorum Interpretatione?*

124. *Quomodo interpretandum sit Privilegium merum favorem continens?*

125. &c. *Quomodo derogans Juri communi, aut consuetudini secundum, vel præter illud inducitur?*

127. *Quomodo illud, quod derogat Statuto, vel consuetudini speciali?*

128. &c. *Aut quod cedit in præjudicium tertii?*

130. *Quid sit Extensio Privilegii?*

131. &c. *An, & qualem privilegium, & quibus casibus, item ad quos possit extendi?*

141. &c. *Quid si eadem sit ratio quoad casus expressos, & non expressos?*

UT omnis potentia ad actum, ita privilegium ad usum potestatis, per id concessa ordinatur: in quo usu ne excedatur, sed sciatur, quid potestatis per privilegium datum sit, idcirco addendum, quomodo interpretandum, & extendendum sit privilegium. Hinc

97. ⁹⁷ *Quæritur 1. de Usu privilegii. Et quidem dubitatur, utrum privilegiatus teneatur uti privilegio suo? & distinguendo inter privilegium commune, & singulare, Privilegium communi tenetur uti*

quilibet, qui est de communitate, cui concessum est privilegium; quia si non uteretur, saltem pro illo actu, quo ipse non utitur, censeretur eidem renuntiare. atqui privilegio communi secundum dictam 62. renuntiare privatus non potest.

Contra *privato privilegio*, & quod ipsi privilegiato proprium, ac specialiter concessum est, per se loquendo nemo tenetur uti. Suar. l. 8. de LL. c. 23. n. 7. Palao tr. 3. D. 4. p. 7. n. 1. Sannig hic c. 2. n. 8. Pishing n. 25. Wietner n. 26. & sumitur ex

ex c. si de terra 6. b. tit. Ratio est, quia quod in favorem alicujus factum est, non debet in gravamen ejus retorqueri Reg. 6. in 6. esset autem magnum gravamen, si privilegiatus teneretur uti privilegio suo, etiam contra voluntatem suam. ergo &c.

99 Dixi autem, per se loquendo: nam per accidens potest privilegiatus aliquando obligari ad privilegii sui usum; quia potest contingere, ut privilegium removeat obicem, quo remoto, privilegiatum deprehendit obligatio Juris communis: & sic fit in eo, qui privilegium habet audiendi Missam tempore Interdicti; nam hic die festo tenetur audire Missam ex præcepto Ecclesie, quod obligat omnes non impeditos. Suar. l. cit. n. 2. Palao n. 2. Wiestner n. 26. Ratio est, quia per privilegium fit licitum, quod antea non erat licitum, qua mutatione facta, præceptum Ecclesie obligat ad actum concessum per privilegium.

100 Dub. 2. utrum privilegiatus uti possit privilegio suo adversus alium pariter privilegiatum? Duobus modis dici possunt duo pariter privilegiati. 1. quia æqualia privilegia habent, & in re simili, ut si tu exemptus es à Decimis solvendis, & alter similiter exemptus. 2. respectivè, & cum mutua oppositione in ordine ad usum ejusdem privilegii, ita, ut si concurrant, sibi invicem opponantur, ut si exemptus es à solvendis Decimis, alter privilegium habeat percipiendi Decimas à quocunque, qui in territorio suo existit; item si tu habes privilegium, ne ob debita tua possis vinculis alligari, alter privilegium habeat comprehendendi quemcunque sibi debitorem.

101 Si primum, est affirmativa responsio, quod scilicet privilegiatus possit uti privilegio suo contra alium pariter privilegiatum. Covar. Reg. possessor. p. 2. §. 2. n. 4. Suar. l. 8. de LL. c. 23. n. 3. Palao tr. 3. D. 4. p. 8. n. 1. Zæf. bic n. 28. Pirhing n. 123. Wiestner n. 32. & sumitur ex l. fin. ff. ex quib. caus. major. junctâ Gloss. marg. ibid. ubi absens Reip. causâ restituendus dicitur contra alium pariter absentem Reip. causâ. Ratio est, quia in hoc casu nullius privilegium derogat alteri, neque per hoc, quod unus habeat simile privilegium, potest illud alter impedire ab usu.

102 Si secundum, videndum est, an unum ex his privilegijs sit generale, alterum speciale, vel an utrumque sit æquè generale, aut æquè speciale. Nam in primo casu præferendus est ille, qui habet privilegium speciale; quia species derogat generali Reg. 34. in 6. Covar. l. cit. Suar. n. 6. Palao n. 2. Haun. tom. 1. de J. & J. tr. 1. n. 186. Wiestner n. 32. cit. In secundo casu considerandum, an privilegia

illa sint inter se verè contraria, ita, ut non appareat via, quo modo in concordiam possint redigi, ut utrumque valere possit; an verò sint solum contraria quoad externam verborum speciem, quia unum cedit alteri, aut imbibitam conditionem habet, nisi altera pars exempta sit.

Si verè contraria inter se sint, præ-103 valebit id, quod fortius, scilicet antiquius, vel à potestate superiore concessum est. Suar. n. 6. Palao n. 2. Haun. n. 187. Wiestner n. 32. cit. Sic enim si unus Ordo Religiosus gaudeat privilegio prohibendi alterius ædificationem prope sua Monasteria inter certas cannas, id, quod antiquius, vel à Papa concessum est, prævalebit ei, quod recentius, aut ab Episcopo impetratum est, Rodriq. tom. 1. regul. q. 9. art. 11.

Si verò non verè, sed quoad speciem solum contraria sunt privilegia prævalebit id, quod magis est absolutum, illud autem, quod conditionem imbibitam habet, respectu prioris manebit suspensum. Et hinc 1. si una Ecclesia habeat privilegium non solvendi Decimas, altera exigendi, non potest hæc priorem cogere, ut Decimas sibi solvat; quia privilegium illius censetur conditionatum, nisi alter habeat exemptionem à Decimis persolvendis. 2. si unus privilegium habet, ut intra certum tempus cogi non possit ad solvendum debitum, alter verò, ut cogere quemlibet debitorem possit, non potest creditor contra ejusmodi debitorem uti privilegio suo; quia censetur ipsi permittit coactio tantum illius, qui privilegio non est exemptus. 3. Si filius mutuum accepit à Minore, non potest uti S. C. Macedoniano, quia magis habetur ratio ætatis, quam S. C. l. verum 11. §. fin. ff. de minor. & sic de cæteris.

Ex quo patet, quis sit sensus com-104 munis Regulæ, quæ dicitur, quod privilegiatus non possit uti privilegio suo contra alium privilegiatum; intelligendum enim hoc est sub conditione, si iste, adversus quem vult uti privilegio suo, habeat privilegium fortius, & magis absolutum.

Dub. 3. in quo loco possit privile-106 giatus uti privilegio suo? R. distinguendo, an concessum sit pro certo loco, & tempore, an verò absolute, & sine limitatione temporis, vel loci. Si primum, usus privilegii extra illum locum, vel tempus illicitus est. Palao tr. 3. D. 4. p. 6. n. 2. Ratio est, quia extendi non potest ultra intentionem concedentis, cum ex ejus voluntate totus valor privilegii pendeat. Colligi autem hoc debet vel ex verbis, quibus privilegium datum continetur, vel si hæc indifferentia sint, ex fine, & materia concessionis.

107 *Si secundum*, privilegium valet pro omni loco, & territorio concedentis; quia non est major ratio pro uno loco, quam pro altero, ergo ne inutile, aut ambiguum reddatur privilegium, pro omni loco intelligi debet. Accedit, quia si concedens privilegium illud voluisset pro aliquo determinato loco territorii sui non valere, debuisset locum illum exprimere in privilegio; igitur cum nullum expresse- rit, prudenter præsumitur concessisse pro omni loco, juxta Reg. 57. in 6, ibi. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda.* Suar. l. 8. de LL. c. 26. n. 2. Bonacin. D. 1. q. 3. p. 5. n. 1. Palao l. cit. n. 1. Wiestner hic n. 29.

108 Ut verò privilegiatus uti privilegio, vel gratiâ sibi concessâ possit etiam extra territorium concedentis, videre debet an solum per ejusmodi gratiam tollatur inhabilitas, & impedimentum ad functiones, e. g. Irregularitas, Censura &c. an verò immediatè det potestatem aliquid agendi vel omittendi. *Si gratia solum tollit inhabilitatem, & impedimentum ad functiones*, is, cui concessa est gratia dispensans in ejusmodi impedimento, functiones has exercere potest ubilibet, etiam extra territorium dispensantis, e. g. dispensatus in Voto Castitatis ubilibet contrahere matrimonium, absolutus ab Irregularitate, & Censura, ubi vis suscipere Ordines &c. Palao l. cit. n. 3. post Sanch. l. 8. de matr. D. 31. n. 17.

109 *Si verò immediatè det potestatem aliquid agendi, vel omittendi*, attendendum est, an actus, vel omisio, ad quem privilegium, vel dispensatio datur, repugnet alicui Juri, actum illum, vel omisionem prohibenti, an verò nulli repugnet Juri. *Si nulli repugnat Juri*, potest privilegiatus uti privilegio suo; nam ab usu privilegii sui privilegiatus impediri non potest, nisi actus, ad quem exercendum privilegium datur, per Legem aliquam, quæ in loco, ubi ipse subsistit, prohibitus sit, ergo si nulla Lex hujusmodi prohibens ibi existat, non apparet, unde illicitus sit privilegii usus. Palao n. 4. *Excipitur*, nisi ad ejusmodi actum licitè, & validè exercendum requiratur facultas Principis, Episcopi, vel Parochi loci, per quem transit privilegiatus, uti est privilegium concionandi, celebrandi Missas, excipiendi Confessiones, populo publicè benedicendi &c. tunc enim absque istorum licentia privilegio suo uti privilegiatus non potest; quia concedens privilegium per hoc non censetur præjudicare velle juri alterius, sed ipsum potius privilegium censetur imbibitam habere conditionem, si Princeps, Episcopus, Parochus loci facultatem concedat. Haun. tom. 1. de J. & J. tr. 1. n. 184.

Si verò actus ille sit prohibitus ali- quo Jure, interest, an prohibitus sit Jure communi, an privato. *Si Jure communi prohibitus est*, videndum, an Dispensatio, vel privilegium datum sit generale pro tota Dioecesi, v. g. dispensando ad elum carniû in Quadragesima; vel utrum sit personale ob specialem, & personalem causam, quæ datur in ipso privilegiario. *Si primum*, uti privilegio isto privilegiatus extra territorium Episcopi dispensantis nequit in aliena Dioecesi, ubi Lex communis Ecclesiastica viget. Suar. c. 26. cit. n. 14. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 16. Pirhing hic n. 128. & certa omnium sententia. *Ratio est*, quia tale privilegium censetur locale, & ad hæzere loco, pro quo conceditur; conf. extra illum extendi non potest.

Si secundum, uti privilegio suo uti privilegiatus potest etiam extra territorium Episcopi concedentis. Azor p. 1. l. 5. c. 23. q. 6. Suar. c. 26. cit. n. 15. *Et seqq.* Salas D. 17. sect. 10. Sanch. l. 8. de Matr. D. 31. n. 17. Bonac. D. 1. q. 3. p. 6. n. 4. Palao p. 6. n. 6. Laym. c. 23. n. 16. Haun. n. 182. Pirhing n. 128. Wiestner n. 30. *Ratio est*, quia privilegium merè personale cohzret personæ, & ideo eam comitatur, quocumque perrexit. *Conf.* quia in Jure, seu Lege communi non dispensat Episcopus, nisi ex commissione Pontificis. Sed si Pontifex dispensaret, valeret Dispensatio, & privilegium pro omni loco, ergo etiam valet, quando dispensat Episcopus. Atque hinc si à tuo Episcopo accepisti privilegium comedendi carnes diebus prohibitis, potes illo uti etiam extra Dioecesin tui Episcopi. Potest tamen Episcopus illius loci eo casu à te petere manifestationem privilegii tui; sed si examinaverit, ritè que datum invenit, liberum tibi usum illius debet relinquere.

Quodsi verò privilegium solum re- pugnet Legi, & Statuto speciali illius loci, quem transit privilegiatus, putat Palao n. 6. cit. non esse ibi licitum privilegii usum. Sed meliùs adhibetur distinctio; vel enim talis Lex, & Statutum concernit specialiter bonum commune illius loci, uti sunt, quæ præscribunt certam formam contractibus, prohibent usum certorum armorum &c. vel non. *Si prius*, privilegio suo contra tale Statutum, vel Legem specialem talis loci privilegiatus uti non potest; quia his Legibus, & Statutis obligantur etiam peregrini, neque superior, qui privilegium tale concessit, nisi simul sit superior illius, qui præest loco, quem privilegiarius transit, obligatione ista liberare eundem potest. Palao n. 6. cit.

Si posterius, per se loquendo, uti privilegio suo in tali loco privilegiarius potest, ut verius docent Azor, Layman, Pirhing l. cit. conf. si Episcopus e. g. det subdito suo

suo privilegium legendi Libros prohibitos, poterit iste vi hujus privilegii eos legere, etiamsi existat in aliena Diocesi, ubi talium Librorum lectio est speciali Lege prohibita.

Ratio est, quia privilegium dare est actus Jurisdictionis non coactivæ, sed voluntariæ, quæ potest exerceri, & habere effectum etiam extra territorium concedentis, præsertim si careat publica solennitate.

Conf. nam si peregrinus, qui ab Episcopo suo habet privilegium legendi Libros prohibitos, non posset illos legere extra territorium Episcopi concedentis, prohiberetur ab hoc vel lege communi vetante lectionem talium Librorum, vel speciali, & propria illius Diocesis, quam transit non prima; quia in hoc, ut ponitur, cum ipso jam est dispensatum, non secunda; quia hac non tenetur, cum Jurisdictioni illius Episcopi, cujus territorium transit, non sit subiectus.

Imò si actus, ad quem privilegium datur, sit prohibitus tantum lege speciali loci, quem transit peregrinus, ad eum actum ibi exercendum non opus est privilegio; quia peregrini non obligantur legibus loci, per quem transeunt, juxta dict. *Lib. 1. Tit. 2. n. 42.* Ad didi per se loquendo; quia per accidens ob scandalum, & alia incommoda sæpe etiam peregrini tenentur observare Leges loci, per quem transeunt, prout dictum est *n. 42. cit.*

114 Dub. 4. quam vim, & efficaciam in ordine ad usum privilegii habeant verba *Ex certa scientia*, quæ sæpe in confirmatione privilegiorum adduntur? *y.* confirmationem ejusmodi habere vim, & efficaciam renovandi privilegium, si fortè usu, vel aliâ viâ amissum fuisset. Ita Tusch. *V. confirmatio ex certa scientia per tot.* Suar. *l. 8. de LL. c. 18. n. 12.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 2. §. 10. n. 3.* Vel enim Princeps confirmans sic privilegium cognoscit defectum, & nullitatem privilegii confirmandi, & tamen illud confirmat; & tunc ne frustra videatur agere, talis confirmatio censeri debet æquivalere novæ concessioni: vel nullitatem privilegii non cognovit; & adhuc censendus est vim dare privilegio, ne cogamur dicere, inutiliter ipsum addidisse ea verba *Ex certa scientia*.

115 Dux tamen faciendæ sunt Exceptiones, in quibus privilegia, his verbis additis, non confirmantur. 1. enim excipiuntur privilegia subreptitia; quia hæc nulla sunt. Princeps autem vult confirmare jam concessa, Abb. *in c. inter dilectos de fid. instrum. n. 8.* Felin. *ibid. n. 6. §. in c. 2. de Rescript. n. 42.* Suar. *l. 8. cit. c. 19. n. 3.* Palao *n. 4. adv. 1.* 2. ea, quæ Generali Concilio revocata sunt; quia non præsumitur Princeps velle Legi, à Concilio stabilitæ, derogare ob concessionem

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

ita generaliter factam: quod enim multorum consensu stabilitum est, majori auctoritate est firmatum; ac proinde majori, & speciali revocatione indiget. Rodri. *tom. 1. Regul. q. 8. art. 10. in med.* Suar. *l. cit. n. 5.* Palao *advert. 2.*

Quodsi privilegium aliunde sit revocatum, & verba *Ex certa scientia* non addantur, non censetur confirmatum, nisi tenor privilegii jam revocati inferatur confirmationi; tunc enim confirmatum censeri debet, non obstante revocatione aut renuntiatione, ipsius privilegiati. Palao *n. 5.* & ratio est, quia tenor privilegii, inferatur confirmationi, æquivalet verbis *Ex certa scientia*.

Quæritur 2. quænam Regule servandæ sint in Privilegiorum Interpretatione? *y.* plures, exque admodum utiles, afferuntur à DD. 1. si privilegium feratur verbis clavis, & intentionem concedentis sufficienter exprimant, interpretatione non indiget, sed tenor, & forma privilegii inspicienda, & observanda est, prout statuitur *c. porro 7. h. tit.* Ratio est, quia interpretatio est ad investigandam voluntatem concedentis, quæ si ex verbis ipsis apparet, frustra per interpretationem quaeritur. Intellige, nisi manifestæ sint conjecturæ, quod in forma privilegii aliud foverent verba, quam mens concedentis intenderit; tunc enim menti potius, quam verbis inharendum est. Sylv. *V. Privilegium q. 3.* Suar. *l. 8. de LL. c. 28. n. 9.* Palao *tr. 3. D. 4. p. 9. n. 1.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 1. n. 188.* Pirhing *hic n. 17.* quia & habetur *c. in his 15. de V. S. non intentio verbis, sed verba intentioni debent deservire.*

2. Si in forma privilegii adhibeantur verba indifferentia, obscura, & incerta, attendenda 1. est Supplicatio; nam Princeps precibus sibi factis se accommodare consuevit *c. inter dilectos 6. y. ceterum de fid. Instrum.* 2. initium ipsius Indulti; quia juxta illud cætera solent adjungi *l. fin. ff. de Hered. instit.* 3. materia, circa quam versatur privilegium, quia ex re, & materia subiecta optimè intentio principis investigatur. 4. ipsum genus privilegii, an favorabile, vel odiosum sit, an contra Jus, vel solum præter Jus; nam ex hoc, ut ex dicendis patebit, maxima ex parte privilegii interpretatio pendet. 5. Spectari potest aliud simile privilegium, & ex illo interpretatio sumi.

3. Si adhuc res dubia est, & periculum in mora, licebit uti, quod secundum prudentiam visum fuerit pro loco, & tempore convenire. Si verò dilationem res patiat, consuli debet Princeps, Sylv. *V. Privilegium q. 3.* Palao *p. 9. cit. n. 1.* Pirhing *n. 16.* Sannig *c. 2. n. 3.* & apud hos

hos Salas, Suar. Bonacin. Notant tamen hic DD. solum Pontificem, & nullum alium inferiorem Judicem de dubiis, ortis circa privilegia ab Apostolica Sede concessa, posse cognoscere. Habetur c. cum venissent 12. de Judic. Ratio est, quia ejusdem est interpretari Legem, & Privilegium, cujus est concedere; nam & privilegium, ut n. 2. dictum est, Lex quaedam privata est.

120 4. In interpretatione Privilegii servanda est verborum proprietates, quantum fieri potest, Salas D. 17. sect. 2. n. 47. § 49. Suar. c. 28. cit. n. 3. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 7. Palao p. 9. cit. n. 3. Haun. n. 188. cit. Pirh. n. 29. Reiffenst. n. 104. Ratio est, quia etiam Leges secundum propriam verborum significationem, & acceptionem intelligenda, & observanda sunt, ergo & privilegia, quae, ut paulo antea, & saepius dixi, sunt quaedam privatae Leges. Conf. quia si ad improprias significationes liceret recurrere, nihil in privilegiis esset firmum, quod non facile eludi posset. Dixi, quantum fieri potest; excipitur enim

1. si necessitas contrarium suadeat; quia ipsum Jus praecipit privilegia ita interpretari, ut non iniusta sint, aut inutilia, & frustra data, Suar. l. cit. n. 15. 2. si ex aliis conjecturis verosimilius praesumi possit Principem velle, ut verba Privilegii accipiantur in significatione impropria. Suar. n. 3. § 9. 3. si privilegium Juri alieno deroget, & alteri praeviale sit; tunc enim, nisi constet, quod Princeps huic derogare noluerit, verba potius improprie accipienda, & explicanda sunt, quam per illud laedatur Jus tertii. Suar. n. 3. § 10.

121 5. Proprietates verborum, secundum quam interpretanda sunt privilegia, desumenda est ex usitata significatione, vel usu communi, vel secundum Jus privilegio proportionatum, nempe ut, si sit Privilegium Principis Saecularis, secundum Jus Civile; si Pontificum, secundum Jus Canonicum interpretatio fiat, Sylv. V. privilegii q. 3. Azor p. 1. l. 5. c. 23. q. 2. Suar. c. 28. n. 16. Palao p. 9. n. 3. Pirhing n. 25. Reiffenst. n. 105. Et sic intelligentia sunt Regulae, quae passim traduntur a DD. v. g. quod privilegia non plus operentur, quam verba expriment, sumptim, in ea significatione, quam juxta stylium cuiusque Curiae habent. Item Privilegium merè favorabile extendendum est, privilegium verò odiosum restringendum, ut quam minimum operetur, nempe, ut dixi, secundum proprietatem verborum, & usum, quem habent in Curia. Suar. n. 17. Pirh. n. 25. Reiffenst. n. 106.

122 6. Nunquam facienda est interpretatio Privilegii ita strictè, ut privilegium reddat inutile, & inefficax, Sylv. q. 3. cit.

Suar. c. 28. n. 3. Palao n. 4. Haun. n. 188. Pirhing n. 28. Reiffenst. n. 101. Procedique hoc, quantumvis aliis grave videatur, & odiosum, nisi etiam sit iniustum. Sumitur ex c. in his 30. b. tit. & l. non dubium 5. C. de LL. Ratio est, quia inutile, & frustraneam actionem efficere non decet Principem. cum igitur privilegium tendat ad aliquid concedendum privilegiato, quod aliis ipsi non liceret, sequitur semper ita interpretandum esse privilegium, quantum fieri potest, ut effectum hunc operetur, & neque contenti esse debemus, ut confirmet, quod aliis privilegiato jam licebat, nisi ad hoc cogat manifesta ratio. Atque hinc fit, privilegium, & dispensationem quamvis etiam odiosam, extendendam ad ea, quae illius usui necessariò sunt connexa, & sine quibus effectum habere non posset: & ratio est, quia dans formam, dat consequenter etiam ea, quae ad illam requiruntur.

7. Denique interpretandum est privilegium, ut non sit onerosum privilegiato, sive ut aliquid potius tribuat, quam auferat, juxta Reg. 61. in 6. ibi, Quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. Hinc probabiliter concedunt multi, quod ob privilegium Exemptionis non impediatur Regularis, quo minus ipsi cum Praelato contentu subicere se possint Episcopo, ut ab eo absolvantur à peccatis & Censuris, vel dispensentur cum eis in Voto, Juramento, Irregularitate &c. casu quo Episcopus, non verò Praelatus tali facultate ex privilegio est praeditus, Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 7. & apud hunc Henric. Avil. Mohr. Item multò magis dicendum est, si manifestò appareat, quod Praelatus Ordinis consensus subditio irrationabiliter neget, cum non videatur esse mens Pontificis, Exemptionis privilegium ad talem casum extendere, quo cedere in animam perniciosum illud posset. His Regulis positis, facillè solvi debia reliqua de Privilegiorum interpretatione possunt.

124 Dub. 1. quomodo interpretandum sit Privilegium, quod merum favorem continet, & nec Juri communi derogat, nec in praeviale alicujus tertii cedit? 7. esse latè interpretandum. Ita Sylv. V. privilegii q. 3. Suar. l. 8. de LL. c. 27. n. 3. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 5. Palao tr. 3. D. 4. p. 10. n. 2. Haunold. tom. 1. del. § 1. tr. 1. n. 189. Pirhing hic n. 13. Wiefner ibid. n. 33. Ratio est, quia sunt primum beneficium Principis, & purus favor, & gratia, atqui beneficium, gratia, & favor Principis latam interpretationem habet juxta Reg. odia 15. in 6. imò latissimam juxta eolm 16. de V. s. ibi, Cum beneficia Principum sint interpretanda largissimè, & c. quia cur-

ca 22. h. tit. ibi, cum -- in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda; & l. beneficium 3. ff. de Const. Princip. ibi, Beneficium Imperatoris -- quam plenissime interpretari debemus. Et hoc verum est etiam, quando ampla interpretatio cedit in præjudicium concedentis privilegium, quia circa cit. ubi Glossa addit rationem, Ne excogitata fraude sua obviet liberalitati.

115 Dub. 2. quomodo interpretandum sit Privilegium Juri communi vel consuetudini, secundum, aut præter istud introducta derogans? R. regulariter esse strictæ interpretationis. Ita Syll. V. privilegium q. 3. Suar. l. 8. de LL. c. 27. n. 5. Sanch. l. 8. de matr. D. 1. n. 1. § 5. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 5. Palao tr. 3. D. 4. p. 10. n. 2. Haun. tom. 1. de l. § 1 tr. 1 n. 200. Pirhing hic n. 14. Sannig c. 2. n. 3. Wiestner n. 35. & apud hos Abb. Sal. Bonacin. &c. Colligitur ex c. porro 7. c. sanè 9. h. tit. & c. cum dilectus 8. de consuet. Ratio est, quia Jus commune, & ejusmodi consuetudo, hoc ipso, quod ob bonum, & utilitatem publicam introductum sit, favorabile, & quidquid ei derogat, odiosum, ac proinde juxta Reg. odia 15. in 6. restringendum est.

126 Addidi regulariter; nam excipi 1. debet privilegium, quod concessum est in favorem Religionis, & causæ piæ; hoc enim, etsi aliquo modo deroget Juri communi latè est interpretandum; nam summa est ratio, quæ pro Religione facit, ut ait Papinianus l. sunt persona 43. fin. ff. de relig. § sumpt. funer. Suar. l. cit. n. 7. Laym. n. 5. Palao n. 5. Haun. n. 201. Wiestner n. 36. Hinc latè interpretandum est privilegium, quo eximuntur Clerici à Jurisdictione Principum Sæcularium, & Regulares à Jurisdictione Episcoporum.

2. privilegium cedens in bonum commune Reip. quæ sunt privilegia militum, & his similia, Suar. Pal. Haun. l. cit. Ratio est, quia favor, his personis concessus, allicit plures ad hujusmodi arduas functiones, & sic compensatur sufficienter vulneratio Juris communis, quæ fit per privilegii extensionem.

3. privilegium motu proprio, & ex certa scientia concessum arg. c. si motu 23. de Preb. in 6. Suar. n. 8. Laym. n. 5. Palao n. 7. Haun. n. 203. Pirhing n. 14. Wiestner n. 36. quia sic concessum est singularis favor, & beneficium Principis, ac proinde ob ejus honorem latam interpretationem accipit.

4. privilegia inferta Corpori Juris communis, ut sunt multa privilegia, in perpetuum concessa Ecclesiis, Clericis, ac Religiosis; talia enim propriè non censentur esse contra Jus commune, cum eo ipso, quod istius Corpore claudantur, pars Juris communis, & istius instar favorabilia sint. Suar. n. 8. fin. Laym. n. 5. Palao n. 8. Schmalzgrueber L. V. T. II.

lao n. 6. Haun. num. 202. Pirhing n. 14. Wiestner n. 37.

Dub. 3. quomodo interpretandum sit privilegium, quod derogat statuto, vel consuetudini speciali, aut cedit in præjudicium tertii, ejusque juri jam quæsito derogat? R. ad 1. probabilis non debere extendi, modò tale statutum, vel consuetudo non contrarietur Juri communi. Suar. l. 8. de LL. c. 28. n. 16. Bonac. D. 1. q. 3. p. 7. § 1. n. 8. Palao tr. 3. D. 4. p. 10. n. 4. licet contrarium teneant Azor p. 1. l. 5. c. 23. q. 2. Salas D. 17. sed. 8. n. 52. Ratio clara est, quia statutum, & consuetudo est instar Juris communis, ergo præferendum est Juri speciali privilegii.

Ad 2. dico, tale privilegium, quod cedit in notabile præjudicium tertii, & huic jus quæsitum aufert, vel diminuit, esse restringendum, quantum patitur proprietas verborum. Abb. in c. certificari 9. de sepult. n. 9. Sanch. l. 8. de matr. D. 7. n. 6. Suar. c. 27. n. 9. & c. 28. n. 10. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 6. Palao p. 10. cit. n. 8. Haun. tom. 1. tr. 1. n. 203. Sannig hic c. 2. n. 3. Pirhing n. 15. Wiestner n. 34. Ratio est, quia Papa, vel Princeps privilegium concedens non præsumitur velle derogare, vel tollere jus alteri quæsitum, nisi hoc exprimat arg. c. licet 12. de offic. Ord. c. ex tuarum 5. de auct. & us. pall. § l. nec avus 4. c. de emancip. liber.

Procedit hoc, etsi tale privilegium derogans Juri alterius, concessum sit motu proprio; quia licet Princeps ex gravi causa, & ob urgentem necessitatem possit alicui auferre jus suum, non tamen faciliè præsumi debet idipsum velle, cum jus positivum, & naturale postulet, ut cuique suum jus illæsum fervetur, nisi publica utilitas, aut necessitas aliud postulet. Suar. c. 27. cit. n. 9.

Eadem ratio est, si beneficium scandali, aut litium occasionem præbeat; nam eatenus odiosum censi debet arg. c. quod dilecto 3. fin. de consang. & affin. Laym. n. 6. cit.

Quomodo verò interpretanda sint Dispensationes, & privilegia, seu facultates dispensandi, dictum est Libr. 1. Tit. 2. n. 30. & 31.

Quæritur 3. an privilegium patia Extensionem? Antequam respondeam, noto, magnam esse differentiam inter Interpretationem hætenus explicatam, & inrer Extensionem privilegii; nam interpretatio est de mente Legislatoris, prout hæc per verba ambigua significatur; cum enim hæc sæpe latiore, sæpe strictiore significationem habeant, hinc contingit, ut quandoque strictius, quandoque

quandoque latius privilegia interpretemur. Contrà *Extensio* privilegii tunc fieret, quando constaret quidem, Legislatorem privilegia concedentem per verba privilegii non intendisse alias personas, vel casus eximere, quàm quæ personæ, & casus per verba privilegii clarè exprimentur, quia tamen similis casus, & ratio esset, privilegium sic concessum etiam ad istum porrigeretur. His notatis

131 Dub. 1. an, & quale privilegium, & quibus casibus, item ad quos possit extendi? R. cum distinctione: si privilegium odiosum sit, extendi illud non debet, nec potest; quia odia sunt restringenda *reg. odia 15, in 6.* Si favorabile sit, extendi potest ad personas, & casus virtualiter saltem in privilegii formâ comprehensos. Sed hæc non est vera *extensio*, qualem *n. præc.* descripsi, sed tantum Interpretatio *Comprehensiva*. Ita communiter omnes DD. qui proinde varias inde Illationes faciunt. Nam

132 1. Privilegium concessum Religiosis, etiam sub nomine masculino, extendi debet etiam ad fœminas Religiosas ejusdem Ordinis, modò hæ privilegii capaces sint. *Rodrig. tom. 1. regul. q. 13. n. 22. Suar. l. 8. de LL c. 10. n. 7. Bonac. D. 1. q. 3. p. 7. §. 2. n. 2. Palao tr. 3. D. 4. p. 12. n. 1.* Ratio est, quia in illo privilegio jam satis exprimentur, cum ibi potius attendatur qualitas, quàm sexus. *Excipitur*, nisi in privilegio adderetur *Viris Religiosis*; tunc enim ad fœminas non extenderetur, ut DD. *citt.* notant nec immeritò; nam ea additione censerentur debent fœminæ potius exclusæ, quàm inclusæ in privilegio.

133 2. Privilegium concessum Filiis potest extendi etiam ad fœminas. *Suar. Bonac. Palao l. citt.* quia nomine *Filij* etiam Filia intelligendæ sunt *l. cognoscere 56. l. filii 84. l. justa 201. ff. de V. S.* Contrarium tenet *Pirhing bic n. 23.* & apud hunc *Joan. Monach. in c. auctoritate 4. in addit. b. tit. in 6.* eò quòd in privilegiis masculinum non concipiat fœmininum, & filia in propria & stricta significatione *Filij* nomine non veniat. Quod ego intellexerò, cum privilegium odiosum est, vel cum dicitur, *Filiis Masculinis*; tunc enim fœminæ excludi debent, juxta DD. *citt.*

134 3. Privilegium, concessum fratribus, etiam commune est fororibus, nisi aliunde appareat restrictio; quia sub nomine *Fratrum* etiam Sorores intelligendæ veniunt *l. tres fratres 35. ff. de pact. & l. Lucius 93. §. questum 3. ff. de Legat. 3. Tiraquell. l. 1. de retract. lignag. §. 1. gloss. 9. n. 200. Suar. n. 7. Bonac. n. 4. Palao n. 1. cit.*

4. Non tamen privilegium concessum filiis etiam extendendum est ad Nepotes. *Rebuff. in l. liberorum 220. ff. de V. S. Barbof. in l. maritum n. 80. ff. solut. Matr.* Ratio est, quia etsi benigna Juris interpretatione *Filiorum* sæpe etiam nepotes veniant *l. justa cit.* regulariter tamen, & juxta verborum proprietatem non continentur *§. fin. Inst. qui testam. tutor. dar. l. quid sit nepotes 6. ff. de testam. tutel.* Unde aliter de mente concedentis constare debet, ut etiam ad istos privilegium extendi possit; aliàs procedet *Regula communis*, quòd privilegia personalia non egrediantur personas, ad quas dirigitur, nec extendantur ultra verborum proprietatem. *Suar. c. 11. n. 6. Palao n. 1. cit.*

5. Nec socius privilegiati gaudet privilegio socii, nisi huic privilegium aut inutile, aut grave fieret, si socius eo uti non posset *arg. c. quidam 32. h. tit. Abb. in c. 10. de Judicis n. 1. Sylv. V. privilegium q. 6. Suar. c. 11. cit. n. 7. & 8. Pirhing bic n. 23. Reiffenstuel ib. n. 101.* Dixi, nisi inutile, aut grave fieret. Hinc si quis ob debilitatem oculorum privilegium habeat unâ, vel alterâ horâ post prandium recitandi Matutinum pro crastino, posset illud etiam cum eo recitare Socius, nec tenebitur hic dein repetere: & ratio est, quia intelligitur datum eo modo, quo communiter recitari potest, & solet, potest autem recitari cum socio, quem tamen non facillè inveniret sic privilegiatus, si socius sic recitando non etiam ipse satisfaceret, ne igitur cum magno suo incommodo cogatur solus recitare, aut privilegium fiat inutile, dicendum est, hoc casu illud etiam extendi ad Socium.

Dub. 2. an privilegium extendi possit etiam ad personas non expressas in forma privilegii? Ratio dubitandi est 1. quia privilegium celebrandi tempore Interdicti, concessum Sacerdoti, extenditur etiam ad ministrum, & privilegium audiendi Sacrum eodem tempore Interdicti, concessum domino, communicatur etiam ejusdem servis. *c. licet 11. V. cum conceditur b. tit. in 6.* at nec minister sub nomine Sacerdotis, nec Servi sub nomine Domini exprimentur, ergo privilegium extendi potest ad alias personas non expressas. 2. eodem modo privilegium Nobilitatis concessum marito extenditur ad uxorem, & concessum Patri ad filios. *l. fœmine 8. ff. de Senator. & l. si ut propositis 1. c. de Dignit. sed æquè parum filius sub nomine Patris, aut uxor sub nomine mariti expressa censetur, quàm sub nomine Domini Servus, aut sub nomine Sacerdotis minister venit, ergo &c.* 3. quod uni conceditur, aliis denegari non debet *can. fin. §. si igitur dist. 5.*

Sed

138 Sed his non obstantibus, dicendum non extendi, nisi ad personas vel formaliter, vel virtualiter saltem expressas in privilegio. Ita Rodriq. tom. 1. Reg. q. 13. art. 22. Suar. c. 8. de LL. c. 10. n. 5. & c. 28. n. 11. Bonac. D. 1. q. 3. p. 7. §. 2. n. 2. Palao tr. 3. D. 4. p. 12. n. 1. Haun. tom. 1. de q. & J. tr. 1. n. 206. Pirhing hic n. 20. Sannig c. 2. n. 4. Wiefeln n. 39. Reiffenstuel n. 98. & apud hos Everh. Leg. arg. loc. à Speciali n. 1. Bald. in c. inter ceteras 4. de Rescript. n. 9. Berojus in c. 1. de Probat. n. 20. Fagn. in c. quia nonnulli h. tit. n. 2. §. 25. sumitur ex c. sanè 9. h. tit.

139 Ratio est 1. quia tota efficacia privilegii pendet ex intentione concedentis, quæ intentio significatur verbis, ergo ultra expressionem verborum non debet fieri extensio: & hinc est, quod communiter dicitur, Privilegia valere tantum, quantum sonant. 2. quia quæ per privilegium conceduntur, non debent trahi ab aliis auctoritate, vel potius temeritate propria in exemplum; non enim, quod uni sigillatim conceditur, statim omnibus convenit, prout habetur can. hinc est 39. caus. 16. q. 1. ubi Gloss. V. sigillatim ait, quod privilegium concessum uni non extendatur ad alios, & privilegia singulorum communem Legem facere non possunt. 3. privilegium est jus singulare, & sequitur personam privilegiatam, cùmque illa extinguitur, & propterea ab una persona non transit ad aliam, juxta reg. in omnibus 68. ff. & reg. privilegium 7. in 6. Abb. in c. sanè cit. n. 1.

140 Neque aliud probant Argumenta contraria. Ad 1. dico, ibi relictos jam esse virtualiter expressos in privilegio; nam privilegium concedens interdicit concedere commodum ejus usum, & cons. concedere censetur omnia, quæ vel ex præcepto, vel ex consuetudine annexa sunt usui talis privilegii, atqui ex præcepto Ecclesiæ connexum est, ut Sacerdos non celebret sine ministro, & ex consuetudine, ut dominus non audiat Sacrum sine famulorum comitatu, ergo &c. Ad 2. nobilitas illa, quam maritus, aut pater ex officio, habet solum tandiu, quamdiu officio illo fungitur, ad uxorem, & filios non transmittitur: sed solum illa, quæ marito, vel patri conceditur in perpetuum; hæc autem ad uxorem, & filios transit, non ex privilegio, quo maritus, & pater nobilitantur sed, ex Juris dispositione per l. cit. unde potius confirmatur nostra sententia; nam exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis.

141 Dub. 3. an privilegium ad casus, loca, & personas, in privilegii forma non

expressas, extendatur saltem tunc, quando similis, vel efficacior pro his est ratio? Videtur extendi sic posse. Nam 1. id videtur pluribus exemplis constare; sic enim privilegium concessum ad dispensandum in Votis extenditur etiam ad jurata; & qui dispensare potest in Votis, potest etiam illa commutare; qui testamentum potest concedere, potest etiam facere Codicillum, & donare mortis causa; item Clericus, qui ex privilegio percipere potest fructus Beneficii sui, dum absens est causa audiendi Theologiam, eosdem percipere potest etiam, cùm audit Jus Pontificium &c. 2. Leges ob similitudinem rationis extendi possunt. ergo etiam privilegia, quæ sunt Leges privatae. 3. ipse Pontifex, æquitatis similitudine provocatus, c. cum dilectæ 4. de cons. util. & inutil. extensionem privilegiorum fecit. 4. c. ex parte 27. de Decim. privilegium percipiendi Decimas de laboribus terræ Parochiarum suarum concessum Religiosis extenditur ad Novalia, ex ratione; quia, ut ibi Pontifex loquitur, ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur. 5. c. per venerabilem 13. pr. qui pr. qui fil. legit. Pontifex probat, dispensationem illegitimo concessam ad actus Spirituales etiam extendi ad temporales; quia quod in majori conceditur, licitum esse videtur & in minori.

Ob, aliqua ex his Argumentis, 142 Sanch. l. 8. de Matr. D. 1. n. 33. & seqq. admittit, in favorabilibus admitti Argumentum à majori, saltem quando casus, in quo dispensatur, rationem expressam concessionis continet. Liberalior adhuc est Emm. Sà V. gratia n. 18. ubi absolute dicit, privilegia extendi ad actus similes. Sed non est discedendum à communi Sententia, quam expressè tenent Salas D. 20. de LL. sect. 11. n. 110. Suar. l. 8. de LL. c. 28. n. 11. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 7. Bonac. D. 1. q. 3. p. 7. §. 1. n. 15. & §. 2. n. 11. & 12. Palao tr. 3. D. 4. p. 13. n. 1. Haun. tom. 1. tr. 1. n. 206. Sannig hic c. 2. n. 4. Pirhing n. 20. Reiffenst. n. 98.

Ratio est manifesta; quia tota efficacia privilegii non ex ratione, sed ex voluntate concedentis, per verba privilegii concessi significatâ, pendet. igitur licet fortasse eadem sit utrobique ratio, si tamen verba casum, vel personam similem non comprehendant, ad illos privilegium extendi non debet. Conf. 1. nam privilegium est Lex quædam privata, quam Princeps alicui concedit ob specialem rationem, ergo etiam si eadem, vel etiam efficacior ratio sit in alio, non propterea inferri potest, Principem illi concessisse

privilegium, sed solum, quod dignus sit privilegio. *Conf. 2.* si ob similitudinem rationis liceret extendere privilegia, nihil esset in privilegiis firmum, & plures frui privilegio possent, quam Princeps intenderet.

144. Et hæ rationes probant non tantum in odiosis, ubi jus ipsum jubet restrictionem, sed etiam in favorabilibus: imò etiam si sit causa pia; alioquin privilegia, concessa uni Religioni, possent extendi ad aliam æqualem, vel strictiorem, ob solam paritatem rationis: quod est falsum, cum nemo possit talem extensionem facere, nisi Papa communicationem privilegiorum concesserit. *Neque obstat*, quod ratio in his expressa reperitur etiam in aliis personis, vel casibus; quia si hoc sufficeret ad privilegii extensionem, sequeretur, quod casu, quo dispensatum est cum Titio ad plura Beneficia ob ejus merita, hoc ipso etiam dispensatum esset cum Cajo, habente similia, vel majora merita.

145. Neque contrarium efficaciter probant Rationes, & Argumenta n. 141, alia. *Ad 1.* ibi non fit extensio privilegii proprie dicta, & n. 130. descripta, sed potius Interpretatio, qua declarantur facultates istæ contentæ in verbis privilegii, servatâ adhuc propriâ verborum significatione; nam sub facultate dispensandi in Votis continetur etiam facultas ea commutan-

di, & sub licentia testandi comprehenditur facultas condendi Codicillos, & donandi mortis causâ tanquam accessorium sub principali. *Ad 2.* nunquam Lex extenditur ad casum non comprehensum Legge: si verò juxta casum decisum in Legge alius à Judice decidatur ob similem rationem, id non ex necessitate fit, sed ex quadam æquitate, & convenientia. *Ad 3.* extensio ibi facta est voluntate Pontificis, non tam declarando, quam constituendo novum Jus: secus est de personis privatis, quæ privilegiis utuntur; nam istæ hujusmodi extensionem privata auctoritate non possunt facere. *Ad 4.* eo textu non fit extensio de uno casu ad alium, sed declaratur, quod privilegium, Abbati concessum ad percipiendas Decimas, se etiam extendat ad Novalia. *Ad 5.* Discursus ille, ut notat Haun. l. cit. n. 207. non est Pontificis, sed supplicantis, & in Rescripto solum refertur per modum causæ dubitandi, ut patet legenti. Deinde in illo discursu non dicitur, quod potestas legitimandi ad Spiritualia ob rationis paritatem extendi possit ad legitimandum quoad temporalia; sed potius, quod per interpretationem una, & minor sit inclusa in altera, in qua eminenter continetur, sicut in privilegio dispensandi in Votis diximus contineri potestatem, ea commutandi.

§. V.

De Privilegiorum Amissione.

S U M M A R I U M.

146. Modi, quibus Privilegia amittuntur.
147. &c. Quomodo amittantur interitu sub-
jecti, cui illa inhaerent?
150. &c. An finiantur etiam morte conce-
dentis?
155. &c. Quibus casibus?
159. &c. An, & quomodo cessent lapsu
temporis?
166. &c. Et cessatione causæ, ob quam concessa
sunt?
176. Quot modis renuntari privilegio possit?
177. &c. An amittatur etiam per Renuntiatio-
nem expressam?

180. &c. Requisita, ut per istam amit-
tatur?
183. &c. An, & quando Prelatus cum Ca-
pitulo renuntiare privilegio possit?
186. &c. An privilegium tollatur per non
usum?
189. &c. Quænam privilegia sic tollantur?
191. &c. Requisita, ut sic tollantur?
193. &c. Quando privilegium amittatur usu,
aut actu contrario?
197. &c. Quomodo per absum?
202. &c. Referuntur diversi excessus Privile-
giatorum in usu privilegiorum suorum.

146. O CTO præcipuè modis amitti Privilegia possunt. 1. pereunte, vel destructo ipsorum subjecto, cui inhaerent *Reg. in omnibus 68. ff. & Reg. privilegiorum 7. in 6.* 2. lapsu temporis, pro quo concessum est *arg. c. de causis 4. de Offic. Deleg. & l. quoties 2. C. de Precib. Imper. offer.* 3. cessante causâ *c. cum cessante 60. de Appell.* 4. libera renuntiatione

ipsius privilegiati *c. si terra 6. fin. b. tit. 5. non usu arg. l. nundinis 1. C. de nundin. 6. usu, vel actu contrario. DD. in c. cum accessissent de Const. c. si de terra cit. & c. accedentibus 15. b. tit. 7. abusu can. ubi ista 7. dist. 74. can. privilegium 63. caus. 11. q. 3. c. tuarum 11. 7. verum, c. ut privilegia 24. pr. &c. b. tit. 8. denique revocatione concedentis. Wiefin. Quæ-
b. n. 58.*

347 Queritur 1. quomodo privilegia amittantur interitu subiecti, scilicet persona, aut rei privilegiata? *n.* cum distinctione: Vel enim privilegium est personale; & tunc cum persona extinguitur; vel est reale; & tunc manet, manente re, ea intereunte, & ipsum interit. Ratio primi membri est, quia privilegium personale cohaeret personae, eamque sequitur. *Reg. in omnibus 68. ff. & Reg. privilegium 7. in 6.* ac proin ad haeredes, vel successores non transit. *Reg. 196. ff.* Ratio secundi; quia sicut privilegium personale adhaeret personae, ita reale adhaeret rei; & hinc necesse est, re intereunte, etiam ipsum perire.

348 Secundum tamen hoc membrum non est accipiendum indistinctè; potest enim res privilegiata, e. g. Templum, Monasterium, Domus &c. destrui vel Superioris auctoritate, vel casu solum, aut sibiâ ruinâ, aut per belli injurias. Si primum, dispiciendum est, an destructio facta sit auctoritate Superioris cum spe reedificationis; & tunc privilegium manet: vel sine reedificationis spe; & eo casu cum re destructa etiam ipsum amittitur, quia tollitur ipsius fundamentum.

349 Si secundum, iterum distingui debet; nam si privilegium hujusmodi concessum sit ipsi solo, seu pavimento; & tunc cum isto etiam manet privilegium. Si verò directè respiciat aedificium e. g. Domum, Monasterium &c. & tunc per destructionem aedificii suspenditur quidem privilegii usus reviviscit tamen eo reparato *arg. l. cum loca 56. ff. de Relig. & sumpt. fin.* Si autem concessum sit Communitati, quae hic, & nunc est in tali loco, tunc ista privilegium suum, quocumque devenit, transfert; & sic quando Superioris auctoritate Ecclesia, Academia, Civitas &c. de uno loco transfertur in alium, privilegia per hujusmodi mutationem non amittit, sed secum transfert *can. & temporis 48. & can. seq. caus. 16. q. 1. c. quia Monasterium 2. de Relig. Domib. Gloss. in Reg. privilegium cit. V. eod. Azor p. 1. l. 5. c. 22. q. 11. Suar. l. 6. de LL. c. 5. n. 4. & seqq. Zccl. hic n. 43. Engl. n. 14. Pirhing n. 198. König n. 26. Wiestner n. 41. Reiffenstuel n. 171. & seqq.* Ratio est, quia haec privilegia sunt perpetua, & tandiu durant, quamdiu durat fundamentum illorum, ergo si fundamentum privilegii sit solum, seu pavementum, cum hoc manet; si aedificium, cum hoc destructo suspenditur; si communitas, cum hac transit, quocumque illa transferit.

Dub. 1. an privilegium finiatur morte concedentis? *n.* regulariter non amittit. *Suar. l. 8. de LL. c. 31. n. 1. Laym. l. 1. tit. 4. c. 23. n. 18. Vallen-*

hic §. 1. n. 4. Engl. n. 15. Pirhing n. 171. König n. 27. Reiffenstuel n. 107. Ratio est, quia Regula generalis est, quod gratia semel rite obtenta non cessat, vel finitur per mortem concedentis, per *c. si super 9. de Offic. Deleg. in 6. & c. si cui 30. de Preb. eod.* atqui privilegium est quadam gratia; quia continet favorem ejus, cui datur; ergo &c. *Conf.* privilegium est quadam liberalis donatio, atqui donatio semel facta non expirat per mortem donantis, ergo nec privilegium.

Procedit hoc 1. non tantum de privilegio perpetuo, sed etiam de eo, quod concessum est pro limitato aliquo tempore; hoc enim non perit, quousque finiatur tempus. Sanch. l. 8. de Matr. D. 28. à n. 50. Suar. l. 8. c. 32. n. 10. Palao tr. 3. D. 4. p. 16. §. 5. n. 1. & alii ab his cit. Ratio est, quia est gratia facta pro illo tempore, e. g. anno.

Procedit 2. non solum in privilegio merè favorabili, sed etiam in odioso, per quod derogatur Juri communi, vel praedjudicatur Juri alterius privati. Suar. c. 31. n. 2. Puh. n. 171. Ratio est, quia Jura absolute loquuntur de gratia, nec distinguunt, num alteri praedjudicet, nec ne.

Procedit 3. etiam si Superior privilegium concedens decesserit, re adhuc integra, i. e. antequam privilegiarius coeperit uti privilegio suo. Suar. c. 31. n. 5. Engl. n. 15. Pirhing n. 171. cit. Ratio est, quia in *citt. Juribus*, quae loquuntur de gratia, non additur limitatio, ergo neque à nobis addenda est, praesertim cum gratias potius ampliare oporteat.

*Neque obstat, quod Rescriptum Justitiae, sive ad lites, quo delegatur Jurisdicção contentiosa fori externi, expirat morte delegantis casu, quo res adhuc est integra; nam hoc de Rescriptis Justitiae specialiter in Jure decisum est c. gratum 20. & c. licet 30. de Offic. Deleg. quod proinde ad gratias, & privilegia, quae favorem continent, extendi non debet, ut rectè notant Suar. & Pirhing l. *citt.**

Dixi autem in Responsione, privilegium non finiri regulariter per mortem concedentis; nam absolute amitti potest. Ex hinc ulterius

Dub. 2. quibus casibus finiatur privilegium per mortem concedentis? *n.* 1. amittitur, cum expressè haec conditio privilegio concessio addita est, *Quandiu vivo, seu pro tempore vitae meae*; si enim Privilegium concedere Princeps potest absolute, illud etiam concedere potest sub quacumque conditione. *Suar. l. 8. de LL. c. 32. n. 1.*

2. Expirat per se loquendo morte concedentis, quando Princeps illud concessit sub terminis, *usque ad beneplacitum*

tum nostrum. Suar. c. 32. cit. n. 2. Laym. tr. 4. c. 23 n. 17. Palao tr. 3. D. 4. c. 16. §. 5. n. 3. Valens, hic §. 1. n. 4. Pirhing n. 172. König n. 27. Reiffenstuel n. 169. Ratio est, quia per talia verba limitatur privilegium ad vitam concedentis; significant enim perseverare Privilegium, quamdiu perseverat voluntas concedentis, ista autem cum vita finitur, ergo & privilegium. Aliud dicendum, quando Princeps privilegium concessit sub terminis, *Quamdiu non revocavero*; nam sic concessum, si concedens in vita illud non revocavit, etiam post mortem durat. Suar. l. cit. n. 6. Pirhing *num.* 172. Reiffenstuel, n. 170. Ratio est, quia actus revocationis est positivus, & affirmativus, igitur si à concedente, dum viveret, non est exercitus, Privilegium manet; semper enim verum est, quod nondum data sit revocatio, sub cuius unius existentia ex mente dantis tolleretur privilegium. Dixi autem, *per se loquendo*; nam ut Gaill. l. 2. obs. 60. n. 16. Laym. in c. 5. fin. de rescript. in 6. Palao §. 5. cit. n. 5. Pirh. n. 172. observant, usu hodie observatur, ut privilegia etiam illa, quæ Princeps ad beneplacitum suum concessit, morte concedentis non extinguantur: cuius rei Laym. l. cit. non aliam rationem reddi posse existimat, quam quod verba hæc, *Concedimus ad beneplacitum nostrum*, benignè explicari possint, ita, ut Princeps intendat solum cavere, & admonere; quod Privilegium non transeat in contractum, seu pactum, & per talem concessionem nullam sibi, aut Successoribus suis obligationem imponat, sed liberam sibi privilegium revocandi potestatem reserve: quæ conditio, etsi privilegiis, & gratiis suapte naturâ insit, obesse tamen non potest, imò plurimum quandoque prodest ad omnem dubitationem tollendam, juxta illud vulgatum: *Abundans cautela non nocet*, & reg. non solent 94. ff.

157 3. Expirat privilegium, seu gratia morte concedentis, re adhuc integra, si sit gratia non facta, sed facienda per executores. Gloss. fin. in c. 36. de Præb. in 6. Laym. c. 23. cit. n. 18. Palao p. 16. §. 2. n. 1. Engl. hic n. 25. Pirhing n. 171. König n. 27. Ratio est, quia tunc Princeps nihil adhuc concessit, sed solum potestatem dedit concedendi, igitur mirum non est, quod re integra talis gratia morte concedentis expiret, cum etiam expiret commissio facta executori ad gratiam concedendam. Idem dicendum, quando concedens quidem non moritur, sed Jurisdictio in ipso cessat. Suar. l. 8. de LL. c. 31. n. 1. Sanch. l. 8. de matr. D. 28. n. 64. Palao p. 16. §. 4. n. 1. & alii apud istos. *Excipitur*, nisi commissio hæc facta sit in favorem ipsius Commissarii, vel Delegati;

tum enim potestas concedendi gratiam in Commissario non expirat morte concedentis, ut colligitur ex c. si cui 36. de præb. in 6. & notat ibi Barbof. n. 1. Ratio est, quia respectu Commissarii est gratia facta.

Ex his DD. plurimos casus inferunt, in quibus Privilegium & gratia concessa, etiam re integra, post mortem concedentis manet. Sic enim 1. non perit morte concedentium licentia audiendi Confessiones penitentium, data à Pont. Episcopo, Parocho &c. quia est gratia facta Sacerdoti præcipuè. Sanch. Suar. Sal. Sà, Coninck, quos citat, & sequitur Palao l. cit. n. 3. 2. Non perit ullo modo gratia tibi concessa, ut possis eligere Confessarium, qui te absolvat à reservatis, tecum dispenset &c. quia est beneficium jam possessum à te legitime. Suar. c. 31. n. 3. §. 190. Sanch. n. 72. §. 75. Palao n. 7. 3. idem dicendum de Dispensationibus, quæ à Pont. committuntur cum clausula, *Si preces veritate nitantur*; quia sunt gratia facta ipsi dispensando. Suar. l. 6. de LL. c. 17. n. 9. Sanch. l. cit. n. 87. Palao n. 8. 4. Probabile, & in foro conscientie tutum est, si tibi detur indultum, ut absolvas aliquas personas determinatas, vel cum illis dispenses in illarum favorem, non perire indultum morte concedentis; quia hæc potestas non solum est gratia illius, cui absolutio, vel dispensatio est concedenda, sed etiam tua, siquidem tu ut magis idoneus ad hoc electus es, ut absolutionem, vel dispensationem concedas. Palao n. 5. qui tamen addit, contrariam sententiam esse communem, & in praxi consulendam. 5. non expirat probabilis morte Pontificis mandatum, quod ab hoc datum est, ut providearis in aliquo Beneficio tunc vacante; quia eo ipso acquisivisti jus ad rem ad supra dictum Beneficium, quod jus maxima gratia reputari debet, ac proinde morte concedentis non cessat. Gutier. l. 2. cau. 49. c. 17. n. 5. Sanch. n. 87. Palao n. 10. Plures alii casus videri possunt apud eundem Palao, & alios DD.

Quæritur 2. an, & quomodo privilegium cesset temporis lapsu? 1. tempus privilegii durationi à concedente assignari potest vel determinatum, e. g. ad decennium, vel indeterminatum e. g. ad tempus vitæ concedentis, vel ipsius privilegiati: quomodocumque autem tempus à concedente privilegii durationi datum sit, eo lapsu extinguitur: & ratio est manifesta; quia privilegium vim suam omnem à concedentis voluntate accipit. igitur si iste ultra tempus à se statutum Privilegium durare non vult, privilegium ultra illud durare non poterit.

Idem

160 Idem dici debet de privilegio concessio dependenter ab aliqua conditione; quia tale privilegium virtualiter in se continet tempus, non quidem certum, & determinatum, sed indeterminatum, ita, ut tandiu duret, quamdiu duraverit ipsa conditio, atque ideo sublata conditione, etiam perditur privilegium, cum tempus finitum sit, pro quo concessum est. Suar. l. 8. de LL. c. 29. n. 5. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 17. Palao tr. 3. D. 4. p. 14. n. 2. Puhing bic n. 167. Wiestner n. 42. Reifensuel n. 182. Hinc fit, ut quando Clericus, vel Monachus statum mutat, non amplius gaudeat privilegio Status Clericalis, vel Monasterii; quia hæc ipsi concessa sunt, quamdiu manserit in eo Statu.

161 Faciendum tamen est necessariò discrimen inter condiciones, adjectas; nam aliquæ earum sese tenent ex parte concessionis, aliæ ex parte privilegii, aliæ ex parte usus privilegii. Si ex parte concessionis se teneat conditio, privilegium, eâ sublata, manet; quia solum requiritur conditionis existentia, ut daretur, non autem, ut datum conservaretur. Et hinc si Pontifex Monasterio concedat privilegium, quo eximitur à solvendis Decimis, sub conditione, si Episcopus consentiat, consentiente semel Episcopo, privilegium manet firmum, etsi is postea voluntatem mutet, & dissentiat. Palao l. cit. Si ex parte privilegii conditio se tenet, quia e. g. Pontifex concedit privilegium, quamdiu existit conditio, pereunte conditione, privilegium perit, nisi conditio sit ex iis, quæ semel sublata faciliè redire possunt; tunc enim suspenditur solum quoad usum, ut fit, quando Clericus Statum mutat, & Matrimonium init; nam si soluto per mortem conjugis Matrimonio, iterum faciat, quæ sunt Clerici, iterum recuperat privilegia Clerici. Si denique conditio solum apposita est usui privilegii, privilegium quidem manet, conditione illa cessante, sed usus illius illicitus redditur. Palao l. cit.

162 Dubitatur, an, sicut lapsu temporis finitur privilegium ad tale tempus concessum, ita etiam finiatur privilegium, vel gratia, absolute concessa ad aliquid agendum, vel omittendum, per exercitium talis actus, an verò se ad plures extendat? Non potest hic esse quæstio de casu, quo clara sunt verba concedentis de unico actu; neque etiam de casu, quo clarè datur potestas de pluribus actibus: nam in primo casu certum est, privilegium, vel gratiam finiri unico actu; altero casu autem extendi ad plures.

163 Difficultas solum est de casu, quo verba sunt ambigua, ita, ut ad unum actum limitari, vel extendi ad plures possint. R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

Non conveniunt DD. Nam 1. aliqui cum Sanch. l. 8. de Matr. D. 31. n. 3. Salas D. 20. de LL. sect. 19. n. 127. Suar. l. 8. de LL. c. 29. n. 8. Bonacin. D. 1. q. 3. p. 8. S. 2. n. 2. putant, privilegium, seu gratiam non finiri unico actu per se loquendo, nisi cesset omnino causa, ob quam fuit concessum. Ratio ipsorum est, quia quando dispensatio, gratia vel privilegium pro unico solum actu datur, significari hoc clarè in privilegii verbis solet; additur enim, per hoc tantum vice, semel in vita, vel in morte &c. igitur cum significatio dubia est, privilegium ad unicum actum limitari non debet.

Secunda sententia distinguit, & 164 concedit, eo casu privilegium, aut gratiam finiri unico actu in odiosis, non autem favorabilibus. Ita Felin. in c. 2. de Treug. & Pac. Navar. in can. placuit de presit. dist. 6. n. 166. Henric. l. 12. de marr. c. 5. à n. 7. in Comment. lit. U. Azor p. 1. l. 5. c. 23. q. 5. & favet Bartol. in l. fin. ff. de Const. Princip. n. 6. estque sententia hæc, teste Palao tr. 3. D. 4. p. 14. n. 6. communis.

Sed ipse Palao l. cit. n. 7. in ter-165 tiam viam, & ut ego quidem existimo, recedè; dicit enim totam perseverantiam privilegii, & hujus dubii decisionem pendere ex intentione, quæ fuit concessum. Putat autem, hanc intentionem investigari posse ex motivo, & causa, ob quam fuit concessa gratia, vel privilegium; nam si causa, ob quam concessum est Privilegium, speciali alicui usui privilegii annexa, nec aliis communis est, privilegium, usu eo finito, cessat; quia solum pro illo usu concessum præsumitur. At si concedatur ob finem, qui pluribus actibus communis esse potest, quantumvis odiosum sit, non limitandum, sed ad plures actus extendendum est, nisi contrarium expresse constet ex verbis Principis privilegium concedentis: & ratio est, quia privilegia non sunt restringenda extra proprietatem verborum, & materiam subjectam. Limitatio autem ad unum actum extra proprietatem verborum est, quando verba plures comprehendunt, ergo &c. Videatur Palao l. cit.

Quæritur 3. quando privilegium, 66 cesset, cessante causâ, ob quam concessum est? R. distinguendo: Vel enim privilegium hoc favorabile, vel odiosum est, quia Juri communi, vel alterius privati derogat. Si favorabile est, & continet merum favorem Principis, illud manet, etiam cessante causâ; quia ut rite, & licitè concedatur, vel non requiritur causa, vel si requiratur, requiritur solum, ut honestè, & prudenter concedatur, non verò, ut conservetur; nam ut reg. 16. in 6. habet, docet concessum à Principe beneficium esse

esse mansurum. Suar. l. 8. de LL. c. 30. n. 2. Pirhing hic n. 169. Wiestner n. 44. Reiffenstuel n. 185.

167 *Si odiosum est*, videndum, an jam sit integrè concessum, vel non. *Si nondum integrè concessum est*, tunc quando causa finalis omnino cessat, nulla sit privilegii ipsius concessio arg. c. cum cessante 60. de Appell. Abb. in c. 9. n. 5. de Decim. Menoch. l. 4. presump. 129. circa fin. n. 196. Sanch. l. 8. de matr. D. 30. n. 2. S. 9. Suar. l. cit. n. 1. Palao tr. 3. D. 4. p. 15. n. 1. Pirhing n. 168. Ratio est, quia cessat intentio concedentis, quæ est concedere privilegium ob finem illum. Intelligi autem hoc debet, si causa illa non sit impulsiva tantum, quæ secundariò solum movet, sed principalis, sine qua Princeps privilegium nullo modo concessisset; nam intentio concedentis alligatur causæ finali principaliter intentæ: ergo quidquid sit de impulsivâ, & secundariâ, illa subsistent, subsistet gratia. Reiffenstuel n. 184.

168 *Si privilegium sit plene, integrè & perfecte concessum*, considerandum an unico actu consummatur, an verò tractum successivum habeat. *Si unico actu consummatur*, eo consummato, non cessat privilegium, vel gratia, etiã quoad effectum; quia factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari, ut habet Reg. 73. in 6. Tiraquell. tr. cessant. caus. p. 1. limit. 12. Menoch. l. 4. presump. 129. n. 166. Sà V. gratia n. 6. Sanch. n. 10. Suar. n. 4. Gutier l. 2. qq. can. c. 15. n. 30. Pirhing n. 169. König n. 29. Wiestner n. 45. Reiffenstuel n. 186. Et hinc fit, ut casu, quo cum Irregulari v. g. dispensatur ob ejus paupertatem ad Beneficium, & Ordines, etsi is postea Beneficio acquisito, dives fiat, Dispensatio tamen maneat; quia scilicet jam habuit consummatum effectum: item ob similem rationem, si quis dispensationem obtinuit in Voto Castitatis ad contrahendum Matrimonium ob tentationes, si ex tentationes, contracto Matrimonio, deinde cessent, non obinde fit illicitus illius usus.

169 *Si verò privilegium tractum successivum habeat*, iterum distinguendum est, an scilicet causa, quæ principaliter conceptem movit ad concedendam gratiam, vel privilegium, cesset contrariè, an solum negativè. *Contrariè tunc cessare causa finalis dicitur*, quando privilegii usus propter materiæ, vel circumstantiarum mutationem factus est iniquus, vel injustus, ita, ut verè incipiat in grave detrimentum aliorum, vel communitatis cedere. *Negativè cessat*, quando non existit quidem amplius concedendi ratio, privilegii tamen concessi usus iniquus, aut inhonestus non est.

Si contrariè cessat causa, etiã privilegium quoad actus futuros amittitur. Et sic cessat privilegium non residendi in Ecclesia Beneficii, quando ob absentiam privilegiatorum Ecclesia pateretur defectum Ministrorum; item cessat privilegium colligendi Decimas ex districtu alicujus Parochiæ, si inde Ecclesia Parochialis necessariis destitueretur proventibus arg. c. cum ad hoc 16. de Cler. non resid. c. suggestum 9. de Decim. c. quanto 16. de Censib. c. quid per novale 21. fin. de V. S. S. l. ex factis 43. pr. ff. de vulg. S. pupilli. subtit. Palao l. cit. n. 2. Gonzal. in c. suggestum cit. n. 4. Wiestner n. 46. Ratio est, quia privilegium concessum de re illicita, nullum est, ergo etiã, si usus illius fiat illicitus, cum eadem sit ratio in conservatione, quæ est in inceptione, seu prima concessione, cum nunquam dari facultas ad illicitum faciendum possit. Idem est, quando privilegium vergere incipit in majus detrimentum ipsius privilegiati; quia, ut Reg. 61. in 6. habet, quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.

Si negativè duntaxat causa finali cesset, non cessat propterea privilegium. Et sic perseverat privilegium colligendi Decimas ex certo districtu, concessum Monasterio ob paupertatem, etiã illud cum tempore locupletatum habeat redditus abundantes; item Clericus, ex dispensatione obrinens, plura Beneficia ob tenuitatem illorum, licet ea retinet, etiã successu temporis singula sustentationem congruam Beneficio præbent, Suar. l. cit. n. 7. Engl n. 20. Pirhing n. 169. Wiestn. n. 46. Reiffenst. n. 187.

Dubitatur, an privilegium, gratia, vel dispensatio expiret, quando causa dispensationis, aut gratiæ integrè cessat, antequam illa producatur ad effectum integrum? Sanch. l. 8. de Matr. D. 30. n. 14. plures referens, exillimat, Dispensationem, & gratiam eo casu cessare, vel saltem suspendi, usque dum causa redeat, ob quam fuit concessa. Movetur t. can. generaliter 40. caus. 16. q. 1. c. tue 12. de Cler. non resid. c. Abbatis 25. fin. de V. S. ubi revocatur gratia, & privilegium. cessante causâ, absque discrimine. 2. l. Granus Antoninus 72. §. sed cum duo ff. de Fidejuss. ubi quadam fidejussoris obligationes extinguuntur, & redditur ratio his verbis, ut, quemadmodum incipere aliis non possunt, ita nec remaneant: ex quo Gloss. V. remaneant infert, quod impedit faciendum, destruere quoque factum. Id autem, quo impedit gratiam faciendam, est defectus causæ, ergo illius defectus etiã destruit factam. 3. facilius tollitur Jus speciale, i. e. privilegium, quam Jus commune, sed Jus commune, cessante

fante causa finali, cessat, ut apud omnes compertum est. ergò à fortiori etiam privilegium. 4. actus non operantur ultra intentionem agentium *c. quemadmodum 25. de Jurejur.* atqui in omni Dispensatione subintelligitur conditio, si causa permaneat; aliàs iniquus dispensator esset, si permanere gratiam vellet casu, quo prorsus cessaret causa.

173 Sed melius, ut inter privilegia n. 169, ita nunc inter causas gratiæ, vel dispensationis concessæ distinguitur; nam aliquæ integræ existunt, quando conceditur gratia: aliæ tractum successivum habent, ut ipsa Dispensatio. Si tractum successivum causa habeat, ut in dispensatione de esu carni in Quadragesima ob infirmitatem, recitationis Horarum ob debilitatem oculorum &c. cessante causa, cessat Dispensatio; & conf. qui rursus convalescit, debet iterum abstinere à carnibus, qui restitutos habet oculos, tenetur iterum recitare Breviarium &c. & ratio est, quia dispensatur in obligatione solum tamdiu, quamdiu fuerit causa, infirmitas, oculorum debilitas &c.

174 At si tractum successivum non habet, sed tota existit tum, quando conceditur gratia dispensatio, vel privilegium, nullo modo hoc cessat ob causæ cessationem. Sylv. V. Dispensatio q. 6. Tiraquell. tr. cessant. caus. pr. n. 92. § 94. Sà V. Gratia n. 6. Suar. l. 8. de LL. c. 30. n. 12. Saas D. 20. sect. 6. n. 67. Guier. l. 1. qq. can. c. 15. num. 22. Palao tr. 3. D. 4. p. 15. n. 7. Ratio est, quia privilegium tale, ut ponitur, fuit absolutè concessum, igitur non dependet à causa futura, sed ab existente concessionis tempore; nam per hoc privilegium absolutè concessum distinguitur à conditionato, quòd hujus duratio commensuretur durationi conditionis, sub qua conceditur. Conf. quia per hoc, quòd Princeps legitime dederit privilegium, privilegiarius acquisivit jus utendi privilegio. sed jus semel quæsitum non revocatur ex cessatione causæ, ob quam fuit prius concessum, ut optimè aliis relatis docet Menoch. l. 4. præsumpt. 189. n. 197. ergo &c.

175 Neque contrarium evincunt Rationes n. 172. oppositæ. Ad 1. in textibus cit. clarè agitur de causa habente tractum successivum; nam can. generaliter agitur de immunitate Clericorum ab omni Tutela, & Curatela, c. tue de privilegio Clericorum absentium à loco Beneficii tempore studiorum, c. Abbatis potestas eligendi Abbatem conceditur, donec ibi vigerit disciplina Regularis, atqui clarum est, has causas habere tractum successivum; nam fructus Præbendarum indulgentur absentibus causâ Studiorum, quamdiu his

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

occupantur, & Clerici à Tutela, & Curatela immunes sunt tantum, quamdiu Officii Divinis vacant, nec divagantur. Ad 2. obligatio ibi extinguitur, quia pervenit ad statum, à quo incipere non potuit, non propter cessationem causæ finalis, sed propter circumstantiam advenientem, vi cuius obligationis usus iniquus redditur. dixi autem n. 170. ex tali circumstantia tolli privilegium, cum licere non possit, quod illicitum est. Et sic etiam intelligenda est Glossa, dum dicit, quod impedit faciendum, destruere jam factum, nempe quando impedimentum est honestati contrarium; non verò quando est impedimentum præcisè ob cessationem causæ. Ad 3. etià facilius sit mutari privilegium, quam legem, non tamen sequitur, quòd privilegium cessare debeat, quando Lex cessat: Lex enim cessat, cessante causâ ejus finali; quia tunc inutilis redditur: privilegium verò, etsi causa cesset, ob quam fuit concessum, adhuc est utile privilegiato. Ad 4. si privilegium concedatur absolutè, mens concedentis est, ut privilegiatus eo utatur, etiam cessante causa, ob quam fuit concessum. Neque idcirco peccat, qui sic concedit privilegium; quia etiam causa transiens, & temporalis honestare potest concessionem, & privilegium perpetuum.

Quæritur 4. quot modis renuntiari privilegio possit? 2. dupliciter; nam duplex esse potest Renuntiatio privilegii, Expressa, & Tacita. Expressa est, quæ fit per pactum, aut verbis expressis; Tacita, quæ Juris interpretatione censetur fieri per non usum privilegii, aut usum contrarium. De hac sermo erit duabus sequentibus Quæstionibus. De priorè

Dub. 1. an privilegium amitatur per Renuntiationem expressam, à Privilegiario factam? 2. distinguendo; nam si privilegium alicui personæ particulari in ipsius solius favorem concessum sit, per renuntiationem liberam, & expressam amitatur; quia liberum est unicuique juri suo renuntiare *c. si de terra 6. fin. b. tit. l. si quis 29. C. de Pact.* Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 20. Palao tr. 3. D. 4. p. 17. n. 1. Englibic n. 17. König n. 29. Reiffenst. n. 188.

At si privilegium principaliter concessum sit in favorem Communitatis, Dignitatis, vel loci, e. g. Civitatis, Ecclesiæ, vel Monasterii, non possunt personæ particulares cum ejusdem præjudicio privilegio renuntiare, ne Juramento quidem. Laym. Palao l. cit. Reiffenstuel n. 190. & communis aliorum: & ratio est, quia non sunt bona propria cujusque *l. jus publicum 38. ff. de Pact.* Ad hæc reducitur, si privilegium sit pluribus pro indiviso concessum; tunc enim, quia unus non potest Juri alterius præjudicare, nullus eorum in

H 2

par-

particulari potest renuntiare privilegio, quod cum cæteris ita commune habet. Palao n. 1. cit.

179 Atque hinc 1. non potest ullus Clericus etiam pro se renuntiare privilegio Canonis, & Fori c. si diligenti 12. de for. compet. c. contingit 38. de Sent. Excomm. quia hæc privilegia concessa sunt in favorem totius Ordinis, seu Status Clericalis. Palao l. cit. n. 2. & alii omnes. 2. nec Religiosi renuntiare possunt privilegiis suæ Religionis concessis, ut privilegio Exemptionis, sine consensu Pape, qui eos ab Ordinariorum Jurisdictione exemit, & suæ gubernationi, ac protectioni immediate subjecit, per c. cum tempore, de Arbitr. & urget ratio, quæ in priore exemplo, 3. etiam filius, renuntiare nequit privilegio, quod ipsi concessum est per S. C. Macedonianum, ut non possit ex mutuo pecuniæ obligari, ut dictum est Libr. 1. Tit. 35. n. 18. & ratio est, quia non in favorem ipsius tantum, sed præcipue in favorem parentum concessum est, quorum indemnitas per privilegium istud intenditur, 4. idem dicendum de Minoribus; nam neque isti renuntiare possunt beneficio restitutionis in integrum, nisi aut veniam ætatis petant à Principe, aut juramentum addant, se non uluros hoc privilegio, quod Juramentum tamen relaxari potest. Videantur dicta Libr. 1. Tit. 21. de in integr. restit.

180 Dub. 2. quid requiratur, ut Privilegium tollatur per Renuntiationem expressam? n. 1. requiritur, ut fiat voluntate libera h. e. non coacta, ipsius renuntiantis, quæ sponte, & volens velit abdicare, à se privilegium, & jus per hoc sibi quasitum, vel intotum, si sit totius privilegii, vel in parte, si sit renuntiatio alicujus partis Privilegii. Palao tr. 3. D. 4. p. 17. n. 5.

2. Accedere debet potestas renuntiandi; nam si potestatem renuntiandi non habet, voluntas renuntians nulla est, & nullum habet effectum, ut in casibus n. præc. allatis vidimus.

181 3. Si renuntiatio cedit in aliorum utilitatem, quia scilicet renuntiatione jus aliis confertur, vel remittitur, ut contingit in privilegio non solvendi Tributa, exigendi Decimas &c. tunc requiritur etiam acceptatio ejus, cujus interest, quæ nisi accedat, revocabilis est renuntiatio, sicut quævis alia donatio, usque dum à donatario acceptetur. Gloss in c. 3. V. obtulit, de eo, qui mittitur in possess. Bald. ibid. n. 8. Suar. l. 2. de LL. c. 33. n. 14. & seqq. Palao p. 17. cit. n. 6.

182 4. Si verò privilegium sit ex illis, quæ solum spectant privilegiarium, nec alteri damnum inferunt, ut sunt Privilegium eligendi Confessarium, recitandi Brevia-

rium ante horas consuetas, comedendi carnes diebus prohibitis &c. probabilis non amittitur privilegium, nisi accedat consensus illius, qui dedit Privilegium: & hinc donec acceptata ab hoc sit renuntiatio, privilegiatus à se factam revocare, & privilegio suo, ut antè, uti potest arg. c. licet 7. de Procurat. in 6. Sanch. l. 8. de matr. D. 32. n. 2. Salas D. 20. de LL. sect. 19. n. 128. Bonac. D. 1. q. 3. p. 8. §. 4. n. 3. Suar. c. 33. n. 18. Palao n. 8. Zoes. hic n. 34. Pirhing n. 173. Wiestner n. 47. Reiffenstuel n. 189. Ratio est, quia jus privilegii pender à voluntate concedentis, & acceptance ejus, cui conceditur, ergo quamdiu voluntas concedentis manet, & renuntiationem privilegii nondum acceptavit, potest is, cui conceditur privilegium, non obstante sua renuntiatione, se resolvere ad illud retinendum.

Dub. 3. an, & quando Prælatus cum Capitulo, vel Conventu renuntiare privilegio possit? R. distinguendo: Vel enim privilegium, de cujus renuntiatione agitur, est utile Communitati, vel indifferens, aut inutile, aut etiam noxium. Si noxium communitati fiat, renuntiatione non indiget, sed per seipsum cessat; quia, ut in Reg. 61. h. 8. dicitur, quod ob gratiam alicujus concedatur, non est in ejus dispendium retorquendum. Reiffenst. hic n. 197.

Si inutile, vel indifferens sit, renuntiare illi Prælatus cum Capitulo potest, juxta c. cum accessissent 8. de Constit. c. pro illorum 22. de Preb. modò talis renuntiatio non cedat in Ecclesiæ, vel aliorum præjudicium; nam privilegio Ecclesiæ nemo potest renuntiare arg. c. contingit 1. de sent. Excom. Fagn. in c. inter alia n. 82. de Immunit. Reiffenst. n. 196.

Si utile sit, & honorificum, etiam unus solus aliis de Capitulo contradicere, & renuntiationem impedire potest. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 20. Pirhing n. 174. Reiffenstuel n. 196. post Innoc. Abb. Alex. de Nevò &c. Requiritur ergò, ut renuntiatio fiat de communi omnium consensu, qui si accedat, tenebit renuntiatio; quia & hic Regula locum habet, quod favori suo ij, quibus competit, renuntiare possit arg. c. pro illorum cit. & docet Laym. in c. cum accessissent cit. n. 12. de Constit.

183 Quæritur 5. an privilegium tollatur per non usum? Ratio dubitandi est, quia si per non usum privilegium tolleretur, tolleretur ideo, quia talis non usus vel indicat tacitam renuntiationem, vel quia occasione dat, ut gravatus privilegio adversus privilegium præscribat, Primum dici non potest; quia potest privilegiatus privilegio suo non velle uti ob alios fines, igitur non statim præsumi potest, quod eo non utatur animo renuntiandi. Deinde

de etsi præsumeretur ejusmodi voluntas renuntiandi, tamen, ut n. 182, dictum est de renuntiatione expressa, non statim per ejusmodi renuntiationem tolleretur privilegium, sed opus foret acceptatione ejus, qui privilegium dedit; tacita enim non habet majorem vim, quam expressa. *Sed neque alterum dici potest*, quod scilicet non usus sit occasio præscriptionis; nam imprimis in privilegijs, quæ in aliorum gravamen non cedunt, non datur præscriptio, hoc ipso, quia uti ijs privilegiatus potest, quando libet: in alijs verò, quæ in gravamen aliorum cedunt, præscriptio videtur tolli à concedente privilegium; nam in privilegiarii voluntate constituit usum privilegii. Sed quoties usus privilegii remittitur privilegiarii voluntati, plures non contemnendi DD. putant, non posse adversus privilegium præscribi, ergo &c. *Conf.* non usus rei propriæ non tollit hujus dominium, ergo nec privilegium. *Ant.* patet & alijs, qui non utitur pecuniâ, aut veste sua, hoc ipso dominium illarum perderet: quod est falsum; requiritur enim, ut, si vestem, aut pecuniam velis non amplius tuam esse, illam à te abjicias, & quasi pro derelicta habere velis *l. si res 1. & l. seq. ff. pro derelict.* igitur quamdiu privilegium à te non abjicis, quod renuntiatione debebat fieri, non poteris illud per non usum amittere.

287 Sed his non obstantibus, dicendum, privilegium per non usum amitti posse. Ita post *Abb. Felin.* Decium docet Azor *l. 5. c. 3. q. 8. & c. 42. q. 8. Salas D. 17. de LL. sect. 13. à n. 63. & D. 19. sect. 20. n. 115. Suar. l. 8. c. 34. n. 2. Bonacin. D. 1. q. 3. p. 3. §. 5. n. 3. Palao tr. 3. D. 4. p. 18. n. 1. Engl. bic n. 19.* & hoc teste omnes. Potestque hoc fieri aut vi tacitæ renuntiationis, aut vi præscriptionis. *Vi tacitæ renuntiationis* quidem; quia is, qui sciens, & volens non utitur privilegio, dum uti deberet, & posset, meritò censetur abdicasse illud: neque hinc opus est alia acceptatione dantis privilegium, quam quæ dispositione Juris habetur; in id enim, quod Juris est, consentire omnes videntur. *Vi præscriptionis* autem; quia si contra Leges, cur non etiam contra privilegia præscribi possit, cum etiam ipsæ sint Leges privatæ?

288 Ex quo patet Responsio ad *Rationem dubitandi*. Quod additur, quasi privilegiario ad ipsius voluntatem remittatur privilegii usus, universaliter verum non est; certum enim est, quod concedens privilegium sæpe addat expressè verba, quibus usum privilegii relinquit liberum voluntati privilegiarii, & quod hæc verba non addantur frustra. Essent autem frustra, & sine effectu apposita, si in omni privilegio subintelligerentur, & subintelleccta haberent vim excludendi præscriptionem, igitur di-

endum, quòd tum solum excludant præscriptionem adversus privilegium pro vita privilegiati, quando expressè adduntur; at quando conditio illa subintelligitur tantum, liber quidem est usus privilegii per se loquendo (quia nemo cogitur uti gratiâ specialiter sibi concessâ,) sed si tempus, ad præscriptionem requisitum, transierit, privilegium per ejusmodi non usum cessabit. *Ad Conf.* dico, non usum privilegii, quando deberet, & posset eo uti privilegiarius, esse abjectionem illius interpretativam; quæ causam dedit, ut Leges præscriptionem inducerent. Videtur igitur omnino certum, quòd privilegia per non usum amitti possint. *Difficultas* solum est, quænam sic amitti possint: atque hinc

Dub. 1. quænam privilegia amittantur per non usum? *Res.* distinguendo inter ea, quæ in aliorum gravamen redundant, & inter illa, quæ non redundant in aliorum gravamen, sed in mera facultate aliquid agendi consistunt, uti est privilegium dicendi Missam ante auroram, comedendi carnes in Quadragesima, pro Horis Canonicis recitandi Officium B. V. *Posteriora* solo non usu, quancumque tempore continuato, non amittuntur. *Gloss. in c. 24. v. semel in anno b. tit. Rodriq. tom. 2. Reg. q. 49. art. 3. Suar. l. 8. de LL. c. 34. n. 17. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 22. Palao tr. 3. D. 4. p. 18. n. 3. Engl. bic n. 19. Pirhing n. 176. König n. 29. Wiestner n. 49. Reiffenstuel n. 209.* Ratio est, quia si amitterentur per purum non usum, amitterentur vel per viam præscriptionis, vel per viam tacitæ renuntiationis. non primo modo; quia nemo contra hujusmodi privilegia potest præscribere, cum nemini onerosæ sint, & alios non respiciant: non secundo modo; qui quilibet potest uti, vel non uti privilegio suo pro libitu, & solus non usus non est sufficiens signum volentis renuntiare privilegio. Neque obstat *l. nundinis 1. ff. de nundin.* ubi privilegium nundinarum spatio decennii per non usum amittitur; nam hoc fit ideo, quia vel inter onerosa privilegia reputatur, ut habet *Gloss. in c. 24. b. tit.* vel quia tali conditione à Principe concessum est, ut per non usum intra decennium amitteretur. *Cæteræ Leges, & Jura, quæ amissionem privilegii propter non usum statuunt, loquuntur solum de privilegijs, quæ in gravamen aliorum cedunt, ut legenti constabit: ex his autem, cum restrictio privilegiorum sit odiosa, ad privilegia merè gratiosa non debet fieri extensio; sed & diversa est horum ratio; nam privilegia merè gratiosa, ut supra dixi, præscriptioni non subjacent.*

Aliter discurrendum est de *Priori genere* privilegiorum, seu de ijs, quæ onus, & gravamen afferunt alteri; nam ista amittuntur.

tuntur per non usum privatorum voluntarium, & liberum, oblatâ scilicet occasione utendi privilegio: & hoc tum per viam tacitæ renuntiationis, tum per viam præscriptionis. Gaill. l. 2. obs. 60. n. 2. Azor p. 1. l. 5. c. 22. q. 8. Suar. l. 8. de LL. c. 34. n. 5. 6. § 16. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 21. Palao tr. 3. D. 4. p. 18. n. 4. Pirhing hic n. 175. König n. 29. Reiffenst. n. 204. & sumitur ex l. mundinis 1. junct. Gloss. V. tempore ff. de Nundin. Ratio est, quia etiam illæ obligationes, & Servitutes, tam reales, quam personales ita amittuntur per non usum; nam sic amittit jus eundi, vel currum agendi, per alienum fundum, qui longo tempore, occasione oblata, hoc suo jure non utitur; item Dominus Feudi amittit jus exigendi obsequia à Vasallo, si longo tempore, etiam cum possit, & occasio se offerret, illa non exigat &c.

Dub. 2. quid requiratur, ut per non usum tollatur privilegium, alteri gravamen, vel onus afferens? n. duo requiruntur 1. ut iste non usus sit voluntarius, & liber, ac proinde, ut privilegiatus eo usus non sit, cum utendi occasio fuit; nam si aut occasio utendi nulla se obtulit, aut privilegiarius oblata uti non potuit, sive propter absentiam, aut ignorantiam inculpabilem, sive propter infirmitatem, aut alterius violentiam, per ejusmodi non usum merè negativum, etsi longissimi temporis, privilegiarius privilegium non amittit; quia non usus iste liber non est, & cons. nequit præsumi, quod procedat ex animo renuntiandi privilegio. Et hinc, qui jus gladii ex Principis privilegio habet, illud non amittit, etsi longissimo tempore ex defectu occasionis non fuerit usus privilegio: sic pariter non perdit privilegium, & jus exigendi obsequia à Vasallo Dominus directus Feudi, si illa non exegit, quia is non indigebat: Item manet Universitati privilegium promovendi ad Gradus Doctorales, etsi longissimo tempore, eò, quod nullus esset, qui promoveri vellet, aut dignè possit, in eadem ad Gradus istos promotus fuerit. Gaill. l. cit. n. 4. § seqq. Azor q. 8. Laym. n. 21. Palao n. 2. Pirhing n. 175. König n. 29. Reiffenstuel n. 205. § duob. seqq. Monent tamen hic DD. absentiam occasionis non debere esse voluntariam; nam si Judex habens jus gladii maleficos capitis reos studiosè non capiat, ne eos afficere debeat extremo supplicio, aut Universitas causam Scholasticis dederit, quare nolint promoveri, amittunt privilegia; quia tunc idem est, ac si nolent privilegiis suis uti, & sic fit iste non usus interpretativa abdicatio privilegii.

192 2. Requiritur lapsus temporis: & quidem, ut per non usum viâ tacitæ renuntiationis sublatum censeatur privilegium, requiritur, ut tantum tempus lapsum sit, ex

quo præsumatur animus se abdicandi privilegio: ut verò viâ præscriptionis, opus est, ut iste non usus continuatus liberè fuerit per tempus ad præscriptionem requisitum, scilicet inter præsentis per decennium, inter absentes per vicennium, & aliquando per tempus longius, prout dictum est ad Libr. 2. Tit. 26. à n. 100. Menoch. l. 6. præsumpt. 41. fin. Suar. c. 34. cit. n. 20. Pont. l. 8. de Matr. c. 18. n. 23. Wiefner hic n. 49.

Quæritur 6. quando privilegium ne 193 gativum amittatur usu, vel actu contrario? 2. etiam hic distinguendum esse inter privilegia merè gratiosa, & inter onerosa aliis. Privilegia, quæ merè gratiosa sunt, & nemini præjudicium afferunt, ut est Privilegium non jejunandi in Quadragesima, non recitandi Horas Canonicas &c. non tolluntur solo usu contrario: & hoc verum est, sive deinde unus solum, sive plures ponantur actus contrarii, Ita Suar. l. 8. de LL. c. 35. n. 22. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 23. Bonac. D. 1. q. 3. p. 8. §. 6. n. 5. Palao tr. 3. D. 4. p. 19. n. 1. Pirh. hic n. 183. Wiefn. n. 50. Reiffenstuel n. 213. Ratio est, quia ex non usu, seu usu contrario non potest præsumi renuntiatio istorum privilegiorum; potest enim habens privilegium non jejunandi, vel non dicendi Horas Canonicas jejunare, vel orare; non quasi obligatus Lege, aut animo renuntiandi privilegio, sed ex devotione tantum, vel ob alios fines, adeoque sine præjudicio privilegii sui. Adde, etsi præsumi posset renuntiatio facta, sed illa tamen non adimeretur privilegium, ex mutare voluntatem suam renuntians posset, quamdiu renuntiatio nondum est acceptata à concedente, ut supra n. 182. dictum est de Renuntiatione expressa.

Aliter sentiendum est de Privilegiis 194 negativis, quæ aliis onerosa sunt, & præjudicium afferunt, uti sunt immunitas à solvendis Decimis, vel Tributis, exemptio à Jurisdictione Ordinarii &c. nam hæc amittuntur per usum contrarium privilegio: fierique hoc potest vel viâ præscriptionis, si nimirum post actum contrarium, sine protestatione factum, decurrat legitimum tempus ad præscriptionem sufficiens, & necessarium: vel per tacitam renuntiationem; qui enim sciens, & volens exercet actum contrarium privilegio, præsumitur in foro externo renuntiare velle privilegio suo. Suar. l. cit. n. 7. Laym. n. 23. Palao n. 3. Pirhing n. 178. Reiffenstuel n. 213.

Porro ut per hujusmodi actum con- 195 trarium inducatur tacita renuntiatio, requiritur 1. ut actus iste sit factus ab ipso met privilegiato; nam si ab alio fieret, non tolleretur privilegium. Suar. l. cit. n. 3. Pirhing n. 179. Reiffenstuel n. 216. 2. actus iste debet esse Voluntarius, & quidem fieri animo renuntiandi privilegio: hincfi- quis

quis expressè protestetur, quòd per ejusmodi actum privilegio renuntiare non velit, aut si ignoret, illum contrarium privilegio esse, per eundem non amittitur privilegium, Reiffenst. n. 214. § 2. seqq.

3. actus, qui exercetur contra privilegium, debet esse directè contrarius toti privilegio quoad totam facultatem: & hinc privilegium habens tractum successivum non statim tollitur unico actu etiam quoad usum illius imposterum, nisi completa sit præscriptio.

Abb. in c. 8. de Const. n. 8. Felin. ibid. n. 9. Laym. ibid. n. 11. Suar. l. cit. n. 10. Pont. l. 8. de Matr. c. 18. n. 27. Wiestner bic n. 52.

Aliud est, si privilegium tale sit, quod unico actu perficitur, & effectum non iterabilem habet; nam hoc vià renuntiationis tacitæ per unicum actum contrarium tollitur, ut communiter docent DD. in c. cum accessissent 8. de Const. c. si de terra 6. § c. accedentibus 15. b. tit. & ratio est manifesta; quia in tali casu renuntiatio pro uno actu est renuntiatio privilegii simpliciter, & absolutè, cum totum privilegium in uno actu consistat.

4. Privilegium tale debet esse, cui contra privilegium operans derogare, & renuntiare etiam expressè possit; aliàs etsi plures etiam actus illi contrarios faciat, privilegium per eos actus non tollitur. Abb. n. 8. cit. Felin. n. 28. Laym. n. 12. Suar. n. 5. § 8.

Pirhing n. 181. Ratio est, quia is, qui non potest per expressam renuntiationem tollere privilegium, neque per tacitam illud potest, exercendo actus illi contrarios; nam expressi, & taciti est eadem vis: imò major efficacia est expressæ renuntiationis, quàm tacitæ, cum verbis illa hæc factis duntaxat fiat.

196 Ut præscribatur adversus privilegium negativum, requiritur decennium inter præsentem, vicennium inter absentes, nisi privilegiatus sit Ecclesia, Monasterium &c. Quod si privilegiatus sit Ecclesia, Monasterium &c. requiritur tempus longius: quantum verò illud esse debeat, dubium est. Et rationem dubitandi facit c. si de terra 6. b. tit. ubi dicitur, quòd privilegium non solvendi Decimas, competens Cisterciensium Ordini per c. ex parte 10. § c. nuper 34. de Decim. amissum sit solutione earum, per annos 30. ab istius Ordinis Monasterio continuata. Sed dicendum, requiri annos 40. Ita Suar. c. 35. cit. n. 21. Barbof. de Offic. Episc. alleg. 26. n. 18. Gonzal. in c. si de terra cit. n. 7. Wiestner bic n. 53. § duob. seqq. ex Regula generali c. de quarta 4. c. ad aures 6. § c. illud 8. de præscript. & præcipuè c. accedentibus 15. b. tit. ubi alleganti præscriptionem adversus privilegium tale imponitur onus probandi temporis quadragenarii. Neque obstat c. si de terra in contrarium allegatum; quia ibi solum agitur de amissione

privilegii vià renuntiationis, quæ ex Decimarum solutione, à privilegiatis, Juris sui ignorantiam non habentibus, triginta, imò paucioribus, & secundum multos decem duntaxat annis sine ulla interruptione, & protestatione continuatà, præsumitur, cum tam supinus non facillè quisquam sit, ut solutionem, à qua se privilegio esse immunem novit, tot annis sine ulla protestatione præstet.

Quæritur 7. quomodo amittatur privilegium per abusum? & cum distinctione; potest enim abusus privilegii, si ve culpa in usu illius triplici modo contingere. 1. per excessum, si quis utatur privilegio contra intentionem concedentis, illud ultra illius limites extendendo ad tempus, locum, materiam, vel personam non concessam. 2. sumendo ex illo occasionem delinquendi, sicut contingeret, si exemptus liberius delinqueret, aut alteri injuriam inferret spe immunitatis, vel difficilius conventionis concepta ex privilegio. 3. contra ejus Indulti finem agendo, sicut ageret Canonicus, vel alius Beneficiatus, obtinens privilegium non residendi in sua Ecclesia ad prosequendum litterarum studium, si hoc insuper habito, tempus otio tereret, & inutilibus, atque à privilegio sine alienis exercitiis infumeret.

Quocunque ex his tribus modis privilegiatus privilegio suo abutatur, mereatur illud amittere, ut habetur can. ubi 7. dist. 74. c. licet 18. de Regular. c. ut privilegia 24. b. tit. c. contingit 45. de sent. Excomm. & alibi passim, docentque Suar. l. 8. de LL. c. 36. an. 4. Salas D. 17. sect. 13. n. 67. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 24. Bonacin. D. 1. q. 3. p. ult. n. 2. Palao tr. 3. D. 4. p. 20. n. 3. Englac n. 16. Pirh. n. 185. Reiffenst. n. 176. § seqq.

Si primo modo per excessum privilegiatus abutatur privilegio suo, mereatur illo privari, & defacto aliquando privatur vel ex toto, vel ex parte, prout Lex disposuerit: & sic eligens indignum, pro illa vice privatur potestate eligendi, ut habetur c. gratum 2. de postulat. Prelat. c. cum in cunctis 7. § fin. & c. cum Wintonensis 25. de Elect.

Si secundo modo, accipiendo occasionem delinquendi, meretur privari quidem privilegio suo; at non est privatus ipso facto, saltem ante sententiam declaratoriam criminis, ut colligitur ex c. contingit cit. ubi Clericus incedens sine habitu, & tonsura, ut occasionem liberius vivendi habeat, non amittit privilegium Clericale, quousque ter monitus sit.

Si tertio modo, privilegium eo modo cessat, quo modo cessat finis, & fundamentum privilegii. Si finis solum cessat quoad aliquem actum, privilegium solum cessabit pro illo actu; si in totum cessat, pri-

privilegium quoque cessabit in totum. Sed hæc cessatio non est in poenam abusus, sed ob defectum finis à privilegio intenti, atque adeò ex natura rei: & sic ipsa natura rei amittit privilegium Clericale Clericus, qui ad Statum Matrimoniale transit, & Laicè vivit; item perdit privilegium lucrandi fructus Beneficii sui absens Studiorum causâ, si ille non vacet Studiis &c.

201. Porro Excessuum, quos privilegiati in usu privilegiorum suorum committunt, exempla varia referuntur in Jure Pontificio: potissimi verò Religiosorum sunt; cum enim hi pluribus privilegiis à Sede Pontificia præ cæteris instructi sint, primum est, eos magis in usu eorum excedere. Occasionem prohibitionum sequentium maxime dederunt Templarii, & Hospitalarii, qui in multis excedebant. Præcipua afferam capita.

203. 1. Igitur excedere Religiosi possunt, si Ecclesias, vel Decimas de manu Laicorum sine Episcopi consensu recipiant *c. cum & plantare 3. b. tit.* jubenturque sic receptas dimittere, nisi legitime præscriperint, vel postea consensum Episcopi obtinuerint *c. cura 11. de Jur. Patron. Gloss. in c. 3. tit. v. aliquo tempore. Host. ibid. Fagnan. n. 2. Pirh. hic n. 131.* Quod tamen quoad Decimas non absque discrimine intelligendum, sed distinguendum est, an Laici justè, & cum consensu Pontificis eas Decimas obtinuerint, an verò injustè.

Si justè, consensu Episcopi eo casu opus non est; cum enim per ejusmodi concessionem separentur omnino à bonis Ecclesiasticis, & Laicales fiant, sicut alia sua bona, ita & Decimas ejusmodi donare Religiosis possunt, vel etiam vendere propria auctoritate, & non requisito consensu Episcopi. Si verò injustè, interest, an Laicus Decimas injustè detineat sine titulo, vel cum titulo ab inferioribus Prælatibus habito.

Si ex titulo aliquo, Religiosi eas à Laicis possunt accipere, accedente consensu Episcopi, idque ex permissione Ecclesiæ, & Juris Canonici *c. cum apostolica 7. de bis. que à Prælat. sic enim utilitati Ecclesiæ consulitur, dum ejusmodi Decimæ ad usus Ecclesiasticos revocantur can. fin. caus. 16. q. 1. junct. c. statuto*

202. 2. *§. sanè de Decim. in 6. Si sine titulo, nullo modo illas etiam spontè oblatas Religiosi à Laicis possunt accipere, sed hi debent illas dimittere, & restituere illi, ad quem de Jure pertinent: & ratio est, quia nulla potestas Laicis competit disponendi de rebus Ecclesiasticis c. fin. de reb. Eccl. non alien. & pro non dato habetur, quod datur ab illo, qui non potest donare c. quod autem 3. de Jur. Patron.* Erhoc procedit, etiamsi talis donatio facta sit cum consensu Episcopi; quia consensus Episcopi nihil novi dare potest, sed datum ab alio, qui dare potest,

confirmat, juxta Regulam traditam *c. inter dilectos 6. 7. cæterum de fid. Instrum.*

2. Excedunt Religiosi, & privilegii, si Excommunicatos, & nominatim interdictos ab Episcopis non evitent, sed ad Divina recipiant; nam Excommunicatus, & Interdictus in una Ecclesia, vel Diocesi, censetur ubique Excommunicatus, & Interdictus, ita, ut vitari debeat tanquam Excommunicatus etiam à non subditis, & privilegiatis *c. cum & plantare cit. §. excommunicatos. Host. ibid. Abb. n. 1. Fagnan. n. 2. Pirhing n. 133.* Neque obest, quod exempti sint à Jurisdictione Ordinariorum, qui tulerunt Excommunicationis sententiam; quia privilegium Exemptionis, etsi faciat, ut excommunicari nequeant ab Ordinariis, non tamen facit, ut non debeant alios Excommunicatos vitare: & ratio est, quia obligatio eos vitandi non ex Jurisdictione Ordinarii excommunicantis, sed ex dispositione Juris communis provenit, cui etiam Exempti subjacent, *Suar. D. 13. de Censur. sect. 1. n. 8. Bartol. in c. cum & plantare cit. n. 14. Pirhing n. 133. cit.*

3. Excedunt, si in Ecclesiis suis, quæ pleno jure, i. e. quoad temporalia, & Spiritualia ad ipsos non pertinent, cum vacaverint, Presbyteros Parochiales constituent, & eos Episcopis non præsentent instituendos *c. cum & plantare cit. §. in Ecclesiis, Fagnan. n. 3.* nam etsi rationem rerum temporalium ab hujusmodi Presbyteris Religiosi ejusmodi possint exigere, præsentare tamen eos Episcopo debent, ut ab hoc instituantur, & curam accipiant, sicque institutos, inconsultis iisdem Episcopis, removere non possunt. Quoad Ecclesias, quæ pleno jure, scilicet quoad temporalia simul, & spiritualia subjæctæ ipsis Religiosis sunt, faciendâ est distinctio: Vel enim populus etiam est illis subjæctus, ita, ut quasi Episcopalem Jurisdictionem in eum exercent; vel contra ipsæ quidem Ecclesiæ exemptæ sunt, non tamen populus à Jurisdictione Episcopi Diocesani. Si primum, liberam tales Religiosi potestatem habent instituendi, & destituendi Clericos in illis Ecclesiis, etiam sine consensu Episcopi loci, ut colligitur arg. à sensu contrario ex *cit. §. in Ecclesiis, & notat ibi Gloss. V. pleno jure.* Si secundum, Religiosi exempti habent quidem liberum jus conferendi, vel instituendi Rectorem in illis Ecclesiis, debent tamen institutum præsentare Episcopo, ut ab eo curam accipiat.

4. Excedunt, si scienter in locis interdicitis Divina celebrent, vel celebrari faciant, nisi secundum permissionem Juris, scilicet submissâ voce, & januis clausis: item si ibi alios, quàm Confratres suos sepeliant *c. cum & plantare cit. §. quodsi. Mul-*

to magis excedunt, si publice ad Divina Officia, Sacramenta, & Sepulturam admittant Excommunicatos, & personaliter interdicos *c. ad hęc s. b. tit. c. Episcoporum s. eod. in 6.* Juberetque Alexander III, sic sepultos extra Coemeteria ejici, modò possint ossa eorum ab aliorum fidelium ossibus discerni *c. sacris 12. de sepult.* & nisi fortè petierint absolvi, & per eos non steterit, quò minus fuerint absoluti. Gloss. *in c. adhęc cit. V. ejiciant.* Ratio est, quia quibus non communicamus vivos, nec defunctis communicare debemus, *c. adhęc, & c. sacris cit.*

Exempti autem, qui contra hanc prohibitionem fecerint, præter alias poenas Jure statutas, interdicuntur ingressu Ecclesiæ, donec competenter satisfecerint, ad arbitrium illius, cujus sententiam contempserunt. Dixi autem, Exempti, nam hæc poena non est extendenda ad non exemptos, ut Pirhing *n. 144.* notat, quamvis Gloss. *in c. Episcoporum cit. V. ingressum* contrarium teneat.

207 5. Excedunt, si in Oratorijs suis privatis campanas habeant, easque publice pulsent, prout habetur *in c. patentibus 10. b. tit.* nam habere campanam publicam, eamque pulsare publice est signum loci publici, & sacri. Dixi, *In Oratorijs privatis;* nam in Ecclesijs, & Oratorijs publicis licet, & constat *ex c. nimis 16. de Excess. prelat.*

208 6. Si in Ecclesia polluta celebrent, antequam reconcilietur. Et hi suspenduntur, non quidem ipso Jure, sed per sententiam *c. tuarum 11. b. tit. c. is qui 18. de Sent. Excomm. in 6. Abb. hic n. 5.* Unde discrimen est cum eo, qui celebrat in Ecclesia interdicta; nam hic ipso Jure suspensus est ab Officio, & Beneficio *c. fin. de Excess. prelat. Pirhing n. 139.*

209 7. Si Presbyteros, ab officio per Episcopum suspensos, ad Divina Officia restituant, seu à suspensione absolvant *c. tuarum cit.* Ratio est, quia ab hac, & alijs Censuris ab homine latis non potest absolvere, nisi, qui eas tulit, vel legitimus ejus superior *c. pastoralis 11. §. præterea de Offic. Ord.* unde nulla est hujusmodi absolutio.

210 8. Si Laicos, qui cum uxoribus suis in domibus proprijs commorantur, eò quòd eis ex bonis suis annuatim aliquid solvant, ita eximere à potestate Episcoporum contendant, ut alijs secundum consuetudinem terræ, seu Regionis ad sibi objecta respondere non teneantur. Hos Innocentius III. *in c. cum & plantare cit.* decernit compellendos ad respondendum alijs, remota Appellatione.

211 9. Si Ecclesias, vel Capellas ædificent in locis non exemptis sine licentia Ordinarii loci, vel in exemptis sine licentia Papæ *c. auctoritate 4. b. tit. in 6.* & dictum est R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

Libr. 3. Tit. 48. n. 1. §. sqq. Si in hoc casu deliquerint Exempti, puniri à locorum Ordinarijs possunt. Gloss. *in c. cit. V. compescantur,* & Joan. Monach. *V. eodem;* & Ecclesiæ sic ædificatæ in loco non exempto cedunt Juri Episcopi *c. cum olim 14. b. tit.*

10. Si causas, & lites proprias suorum liberorum hominum ut actores, vel defensores assumant; nam hoc prohibetur *c. auctoritate cit.* etiam casu, quo tales liberi homines ipsis sunt Censuales, & Censum annuum iisdem præstare obligati. Ratio prohibitionis est, quia sic redderent duriozem causam eorum, qui in lite ejusmodi liberis hominibus adverfantur, hoc autem non licet; quia non debet alicujus causa fieri deterior ex alieno facto *l. omnibus 1. ff. de alien. Jud. mus. caus.*

11. Si Religiosi alijs, quam familiari-
bus suis Sacramentum extremæ Unctionis, & Eucharistiæ per modum Viarici ministrare, aut Matrimonia solemnizare, i. e. solemniter benedicere sine speciali licentia Presbyteri Parochialis super his obtenta præsumpserint. *Clem. Religiosi 1. b. tit.* hi enim ipso facto Sententiam Excommunicationis incurrunt, per sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi, excepto mortis articulo. *Trid. sess. 24. c. 1. de Reform.* in Religiosos, sine licentia Parochi solemniter benedicentes nuptias, addidit etiam poenam Suspensionis.

12. Si excommunicatos à Canone, exceptis casibus Jure expressis, vel per privilegia Sedis Apostolicæ concessis, aut à Sententijs per Statuta Provincialia, vel Synodalia promulgatis absolvant. *Clem. Religiosi cit.* Hi incurrunt poenam Excommunicationis reservatæ Sedi Apostolicæ: & hæc poena currit, etiamsi unus Religiosus absolvat alium Religiosum; quia textus nihil excipit, & sub verbis generalibus comprehenduntur etiam Religiosi in materia poenali. *Pirhing n. 149.*

13. Si in Conventibus detrahant Prælati Ecclesiasticis: quod intelligendum, si nominatim eos perstringant, vel per talem circumlocutionem, quæ vicem habeat proprii nominis, *Clem. 1. cit. §. quibus etiam.*

14. Si Laicos ab Ecclesiarum aliarum ingressu, aut frequentia retrahant; si Indulgentias indiscretas, i. e. falsas & supposititias promulgent; si quando intersunt Testamentis conficiendis, Testatores à debitis restitutionibus, aut Legatis, Matricibus, i. e. Cathedralibus Ecclesijs faciendis, abstrahant. *Clem. cit.*

15. Si à Casibus, Sedi Apostolicæ aut locorum Ordinario reservatis absolvant; nam, ut declaravit S. Congr. Conc. apud Barbol. *in Clem. 1. §. quibus cit. n. 19.* Religiosi, etiam Exempti, sine auctoritate, & licentia Superioris absolvere nequeunt

queunt à Casibus, Papæ, aut etiam Episcopo reservatis.

16. Si personas Ecclesiasticas, præsertim coram Judicibus Delegatis à Papa, suam contra eos Justitiam prosequentes, in debite vexare, aut ad loca plura, præsertim multum remota, conveniendi causâ trahere præsumant. *Clem. cit.*

217. Omnibus his, qui à n. 213. positi sunt, per eandem *Clem.* imponitur poenitentia duorum mensium, & Prælati illorum, si occasione horum excessuum acceperint aliquid, & requisiti fuerint ab iis, in quorum præjudicium ea ad Prælatos sic pervenerunt, nec satisfecerint intra mensem partibus læsis, suspensionem incurrunt ab Officio, & omni administratione.

Denique, quemadmodum non de-²¹⁸ cet, privilegiatos in privilegiorum suorum usu excedere, ita etiam non oportet, ut alii privilegia Exemptorum violent; & hi, qui privilegiis alienis derogant, merito suis privandi sunt, ut statuitur c. *dilecti 4. b. tit.* Ratio est, quia non sunt ei sua Jura servanda, qui non metuit aliena violare. *can. si decet 22. caus. 25. q. 2. Abb. in c. 4. cit. n. 1. Barbof. ibid. n. 2. ubi n. 3. addit, per hoc non excludi alias poenas Jure præscriptas contra Judices negligentes in administratione Justitiæ, vel qui per dolum, aut imperitiam malè judicant: de quibus dictum est Libr. 2. Tit. 27. n. 110. & seqq.*

§. VI.

De Revocatione Privilegiorum.

S U M M A R I U M.

219. &c. Qualia privilegia revocari possunt?

221. &c. An revocari possint gratis concessa subdito?

224. &c. An concessa eidem per contractum?

227. &c. Quis revocare privilegia possit?

229. &c. Quibus modis revocari possint?

231. &c. Quando derogetur privilegio per actum contrarium exercitum à concedente?

234. &c. An & quanam privilegia Regularium sint revocata?

240. &c. Quid, & cujus valoris sint viva vocis Oraculo concessa?

244. &c. Quando revocatio privilegii vim suam, & effectum habeat?

Ultimus hic modus est, quo tolli Privilegium potest, præ cæteris tamen loco speciali dignus, quia majorès, quàm circa alios, difficultates quoad eum moveri possunt.

219. Quæritur 1. qualia privilegia revocari possint? *Et 1. quidem dubitatur, an revocari à concedente, vel hujus Successore possit privilegium concessum non subdito, & ab hoc acceptatum? 2. non posse, nisi ex causa publica. Ita Abb. in c. novit. 13. de Judic. n. 23. Felin. ibid. à n. 8. Decius n. 4. Suarez l. 8. de LL. c. 37. n. 2. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 24. Pontius l. 8. de Matr. c. 19. n. 12. Palao tr. 3. D. 4. p. 31. §. 1. n. 2. Pirhing hic n. 186. Engl. n. 21. König n. 28. Wiestner n. 59. Reiffenstuel n. 121. Begnud. V. privilegium n. 5.* Ratio est, quia tale privilegium, postquam acceptatum est, transit in pactum, seu contractum, quo privilegiato acquiritur jus propriè dictum, hoc autem non subdito auferri non potest, nisi ex causa publica.

220. Dixi, nisi ex causa publica; nam si privilegium vergere incipiat in damnum Reip. vel etiam Principis concedentis valde notabile, ita, ut si à principio damnum id accidisset, privilegium censeretur injustum, & iniquum, Successor privilegium illud re-

vocare potest, vel etiam ipse Princeps concedens non servare, ut Felin. l. cit. Suar. n. 3. Palao n. 4. Pirhing n. 127. Reiffenstuel n. 121. docent: & ratio est, quia conditio illa, sive exceptio ex natura rei intelligitur inclusa in prima concessione privilegii. Imò eo casu privilegium non revocatur propriè, sed per seipsum cessat; quia concedi videtur sub hac tacita conditione, dummodo damnosum non sit concedenti, & Republicæ; aliàs concessio irrationabilis foret.

Dub. 2. utrum à Principe, vel hujus Successore possit revocari privilegium gratis concessum subdito? 2. distinguendum inter privilegium merè gratiosum, & remuneratorium. Si merè gratiosum sit, & nullius meriti respectu datum, revocari quidem validè potest, non tamen decenter, & licitè, nisi urgeat justa causa. Ita Felin. in c. 13. de Jud. n. 8. & seq. Sylv. V. privilegium n. 10. dict. 7. Suar. l. 8. de LL. c. 37. n. 10. Sanch. de Matr. l. 8. D. 33. n. 1. Salas D. 17. de LL. sect. 14. n. 70. & D. 20. sect. 18. n. 126. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 25. Bonacin. D. 1. q. 3. p. 8. §. 3. n. 16. Palao. tr. 3. D. 4. p. 21. §. 1. n. 1. Pirhing n. 187. Wiestner n. 59. & 61. Reiffenstuel n. 120. Quòd validè revocari possit, patet, quia jus, quod per tale privilegium

gium conceditur, non transit in dominium subditi, cui conceditur, & ita semper pendet à mera voluntate Principis. Quòd verò sine culpa saltem veniali revocari nequeat, ex eo colligitur; quia beneficium Principis decet esse mansurum; & estque inconstantiæ, & levitatis voluntatem mutare sine causa.

221 Quoad alterum de Remuneratorio, dico, remunerationem posse deberi ex Justitia, vel solum ex gratitudine. Si ex Justitia debetur, certum est, privilegium sic datum revocari non posse: sed tunc non est gratis concessum. Si ex gratitudine solum, etsi non tam irrevocabile sit, sicut illud, quod ex Justitia datum est (nam hujus fortius est vinculum) est tamen adhuc irrevocabile, nisi remuneratio sit excessiva, Ita Suar, l. cit. n. 6. Sanch. n. 5. Laym. n. 25. Bonac. n. 2. Palao §. 2. n. 4. Pirh. n. 187. König n. 28. Ratio est, quia quocumque modo debita sit, cedit privilegiatus illius debito ob privilegium sibi concessum.

223 An verò casu, quo revocatur ejusmodi Privilegium remuneratorium, opus sit compensatione, controversia moveri potest. Et ratio dubitandi est, quia revocans ejusmodi privilegium reducit rem in pristinum statum, & conf. reddit privilegiato sua merita, quorum cessionem fecerat ob privilegium; cum autem illa merita, non expositulent ex Justitia compensationem, non videtur illi compensatio debita esse. Sed obligatio compensandi distingui potest, ut illam distinguit Palao l. cit. n. 5. juxta quem etsi compensatio non debeat ex Justitia propter merita, probabiliter tamen debetur ex Justitia propter cessionem, quam fecerat privilegiatus ob privilegii consecutionem; nam hæc cessio est pretio aestimabilis, cum sit actio damnosa cedenti, & utilis cessionario: quæ tamen nunquam reddit, etsi redeant merita.

224 Dub. 3. an Princeps, vel hujus Successor revocare possit privilegium concessum subdito per contractum? R. concedi posse vel per pactum, aut contractum onerosum, vel per lucrativum tantum, sive per donationem. Neutro modo Princeps revocare privilegium sic datum potest sine justa causa. Ita Suar, c. 37. cit. n. 5. & seqq. Sanch. D. 37. n. 2. & 3. Laym. n. 25. Bonac. n. 5. Pont. n. 13. Palao §. 1. cit. n. 2. Engl. n. 22. Pirhing n. 187. Wiestner n. 60. Reiffenstuel n. 122. Begnudell. n. 6. Et quidem quòd privilegium, concessum subdito per contractum, Princeps revocare nequeat, patet, quia etiam Princeps tenetur pacta, cum subditis inita, servare; nam ex his oritur obligatio Justitiæ. Quòd verò etiam revocare nequeat privilegia per contractum merè lucra-

tivum, seu donationem concessa, pariter constat; nam privilegium, concessum subdito per donationem, post hujus acceptationem in dominium transit subditi. atqui Princeps non potest sine causa rem suam auferre subdito, cujus ille dominium habet, ergo &c.

Dixi Sine justa causa; nam ex causa²²⁵ justa potest revocare privilegia à se, vel antecessoribus data. Est autem causa ad revocationem sufficiens omnis illa, quæ sufficit, ut revocetur donatio subdito facta, & in quibus Princeps spoliare bonis suis subditos potest: imò eo casu non tam est revocatio, quàm cessatio privilegii, cum ut n. 220. supra dictum est, privilegia videantur sub tacita hac conditione data, ut durent tamdiu, quamdiu ad publicam utilitatem cessatio illorum non pertinuerit. Ita Palao n. 5. qui putat, Principem teneri probare causam; aliàs nihil esset firmum, sed facillimo negotio posset Princeps jus tertio acquisitum auferre.

Si Princeps ob publicam necessitatem²²⁶, vel aliam causam urgentem rescindat contractum onerosum, & revocet privilegium subdito ex tali contractu datum, compensationem illi tenetur facere, si commode fieri potest: & ratio est, quia Princeps non est absolutus Dominus rerum subditi, & hic non tenetur gratis remittere jus suum. Contrà, si revocet privilegium datum subdito ex contractu, vel pacto merè lucrativo, seu per donationem; tunc enim non est necessarium, ut ab eo compensatio ulla fiat subdito, prout Suar. n. 9. Palao n. 6. Pirhing n. 187. & alii communiter docent; nam in hoc ratio cessat, ob quam compensari debet in privilegio per contractum onerosum concessio, cum nulla fiat commutatio rei ad rem. Adde, quod non satis credibile sit, quod concedens tale privilegium voluerit sibi imponere obligationem non revocandi illud justa causa intercedente, nisi facta compensatione: imò potius præsumitur contrarium.

Queritur 2. quis revocare privilegia²²⁷ possit gratis concessa subdito? R. 1. id potest concedens: & hoc verum est non tantum, quando concedens privilegium est supremus Princeps, sed procedit etiam de inferioribus Magistratibus, qui Superiorem recognoscunt. Suar, l. 8. de LL. c. 37. n. 12. & 13. Pont. l. 8. de Matr. c. 19. n. 15. Laym. l. 1. tr. 3. c. 23. n. 25. Palao tr. 3. D. 4. p. 21. S. 3. n. 1. Pirhing hic n. 188. Excipitur, nisi privilegium ab inferiore datum sit confirmatum à Superiore; quia ratione confirmationis pendet à voluntate confirmantis: conf. sine hujus consensu ab inferiore amplius revocari non potest. Idem dicendum ait Palao, & ab hoc cit. de quacunque Dispensatione,

ne, quam inferior in Lege Superioris potestate ab hoc accepta fecit: quia pro toto illo tempore Legem Superioris abstulit ex voluntate Superioris, igitur obligationem sine hujus Voluntate revocare non potest, & Legem restituere; nam ad hoc non minus, quam ad prius Superioris consensu opus est, cum sit in re, quae potestatem illius ordinariam excedit.

228 2. Non tantum concedens privilegium, sed etiam hujus Successor revocare potest privilegium, ab Antecessore concessum, Suar. n. 11. Palao n. 1. Pirhing n. 188. Ratio est, quia succedit in aequali potestate, & est una, eademque persona per fictionem Juris cum Antecessore. Adde, quod Antecessor ligare manum Successoris non possit.

3. Privilegium concessum ab inferiore revocari potest a Superiore illius: requiritur tamen causa, sine qua etiam Princeps Supremus non revocat licite; quia talis revocatio cedit in injuriam inferioris Praelati, & in detrimentum subditorum. Si non sit supremus Princeps, probabiliter neque valida est hujusmodi revocatio; quia jura subditorum non potest tollere.

229 Dub. 1. quibus modis revocari privilegia possunt? 1. revocari posse duobus modis, expressè, vel tacite. *Expressa revocatio* fit non solum verbis expressis in specie, & in particulari, sed etiam per clausulam generalem, scilicet *non obstantibus quibuscunque privilegiis*: nam haec clausula regulariter sufficit, licet generica sit; quia sub genere comprehenduntur species. *Dixi regulariter*: nam ut Suar. l. 8. de LL. c. 38. n. 1. & seq. Sanch. l. 8. de Matr. D. 33. n. 3. Laym. in c. cum ordinem 6. de Rescript. in 6. n. 7. Palao tr. 3. D. 4. p. 21. §. 4. n. 3. Engl. hic n. 21. Pirhing n. 189. Reiffenst. n. 124. & seqq. advertunt, per ejusmodi clausulam generalem non revocantur. 1. privilegia in Corpore Juris contenta. 2. eo tenore expressa, ut revocari non possint, nisi de iis expressa, & specialis mentio fiat. 3. per modum Contractus, vel in remunerationem meritorum concessa. Quodsi tamen aliunde & clarè constaret, quod Princeps sub verbis generalibus etiam haec privilegia comprehensa velit, etiam his derogatum erit; quia non mens verbis, sed verba menti sunt conformanda.

230 *Tacita revocatio* fit per actum Principis directè contrarium privilegio, qui non potest subsistere, nec habere effectum intentum, saltem adaequatum, sine derogatione privilegii prius concessi, dummodo possit praesumi, eum scire, vel recordari privilegii antea concessi; nam si adsit, vel praesumi possit ignorantia, per ejusmodi actum non derogatur privilegio: & ratio est, quia

haec derogatio debet esse libera, & voluntaria. talis autem esse non potest, nisi ex cognitione saltem virtuali derogantis procedat, Colligitur aperte ex c. nonnulli 28. de Rescript. c. licet 1. de Const. in 6. §. l. idem Ulpianus 12. §. sunt & alii 1. ff. de Excusat. ubi facultas mutandi domicilium concessa Tutori censetur virtualis facultas dimittendi munus, & sollicitudinem Tutoris, si data fuerit ex Rescripto Imperatoris, scientis illum Tutorem esse.

Dub. 2. quando derogetur privilegio per actum contrarium? 1. pro hoc communiter has tradi Regulas. 1. per Legem universalem, etiam non abrogata expressè privilegia, censentur tamen revocata privilegia in Jure communi contenta, non verò specialia, & extra commune Jus, Salas de LL. D. 17. sect. 14. n. 74. Suar. l. 8. de LL. c. 39. n. 2. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 27. Bonac. D. 1. q. 3. p. 8. §. 3. n. 15. Palao tr. 3. D. 4. p. 21. §. 4. n. 10. Pirhing hic n. 191. Reiffenst. n. 128. §. 129. Ratio est, quia illa censetur Princeps scire, ista probabiliter ignorare potest, igitur dum Legem fert contrariam privilegio, quod Juri communi insertum est, praesumitur velle eidem derogare; non verò censetur velle derogare privilegio speciali, nisi expressè mentionem illius faciat. Adde, quia hujusmodi privilegium insertum Juri communi est Jus commune. Sed Lex communis alia communi Lege abrogatur, neque necesse est, ut praecedentis fiat mentio.

2. Privilegium prius obtentum non tollitur, nec tacite revocatur per privilegium posterius, quod contrarium est priori, nisi illius prioris mentio specialis fiat, juxta c. veniens 19. & ibi Gloss. V. nullum de Praescript. Salas l. cit. Suar. n. 5. Bonac. n. 17. circ. fin. Palao n. 13. Pirhing n. 193. Reiffenstuel n. 130. Ratio est, quia cum privilegium sit Jus privatum, & particulare, ideo praesumitur Princeps secundum privilegium concessisse ex ignorantia primi, si de illo nullam mentionem faciat in concessione secundi c. licet 1. de Const. in 6. & c. ex parte 12. de Offic. deleg. Imò posterius privilegium in quo nulla facta est mentio prioris, subreptitiè impetratum censetur, tacita veritate, quae exprimi debuisset, ac proinde non valet. *Excipitur* 1. nisi prius privilegium sit insertum Corpori Juris communis; nam hoc privilegium non censetur Princeps ignorare, ac proinde in hoc cessat allata ratio. Salas n. 75. Suar. n. 5. Bonac. n. 17. Palao n. 11. *Excipitur* 2. si privilegium prius sit generale, posterius speciale; nam concedendo alicui gratiam generalem non censetur Princeps sibi velle adimere potestatem concedendi gratiam specialem: conf. posterius privilegium

gium non erit propriè derogatio prioris generalis, sed quædam quasi exceptio. Suar. n. 7. *cùm cit.*

233 3. Si sententiam Judex in Judicio tulerit contrariam privilegio, quâ scilicet reus condemnatur, non obstante privilegio, non revocatur privilegium, sed sententia potius supponit nullitatem privilegii: unde si privilegiatus valorem privilegii sui sufficienter probet, perget validum esse, etiam non obstante sententiâ Judicis. Suar. n. 4. Palao n. 17. Pishing n. 196. Reiffenstuel n. 132.

234 Quæritur 3. an, & quænam privilegia Regularium à Conc. Trid. sint revocata? Certum est 1. plurima eorum privilegia non esse revocata, sed adhuc persistere in pleno suo vigore, imò ab ipso Trid. fuisse confirmata. Constat ex *sess. 25. de Regul. c. 20. fin.* ibi: *Ita ceteris omnibus prefatorum Ordinum (Regularium) privilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & jura concernunt, firma sint, & inlesâ.* Conf. universali praxi omnium Ordinum, utentium privilegiis suis plurimis. Sed & ipsi Summi Pont. eadem privilegia passim confirmant, & nonnulla tantum excipiunt.

235 Certum est 2. revocata esse omnia, & singula privilegia Regularium ante Trid. concessa, quæ adversantur Decretis contentis in *Sess. 25. cit. de Regular. conf.* Regulares omnes exactè debent observare illa Decreta, nisi post Trid. contra illa, vel illorum aliqua haberent concessum novum privilegium. Patet ex *sess. cit. de regul. c. 21.*

Certum est 3. revocata etiam censei illa privilegia, quæ ante Trid. concessa sunt, & adversantur cuicumque ejusdem Decreto, quod habet adjectam clausulam revocatoriam illorum, ita quidem, ut Regulares privilegiis sic revocatis uti amplius nequeant etiam in foro conscientie; nam contraria sententia hodie damnata est ab *Alexandro VII.* his terminis: *Regulares possunt uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata à Conc. Trid.*

236 Dubium est, an per Trid. revocata censeantur etiam privilegia Regularium, ante istud concessa, quæ alicui ex Decretis ejusdem *sess. 25.* vel priorum Sessionum adversantur, non additâ clausulâ revocatoriam illorum? Affirmant *Peyrin. Declar. Privil. tom. 2. in Const. 1. Gregorii XIII. n. 3. Donat. tom. 1. p. 1. tr. 11. q. 15. à n. 4.* Fundantur 1. quia Trid. *sess. 25. de regul. c. 22.* præcipit cuncta sua Decreta etiam à Regularibus observari, non obstantibus eorum quibuscunque privilegiis &c. ergo per hanc clausulam derogavit omnibus Regularium Privilegiis, quæ alicui cuicumque tandem Decreto illius

adversantur. 2. quia *Pius IV.* per *Bullam*, incipit. *In Principis Apostolorum Sede*, quæ refertur *tom. 2. Bullar. fol. 135.* estque inter ejusdem Pontificis Constitutiones 94. omnia, & singula, etiam Regularium quorumcunque, privilegia, sub quacunque excogitabili forma, & ex quacunque causa concessa, universaliter, & indistinctè revocat & annullat in omnibus, & singulis, in quibus illa Statutis, & Decretis Trid. contrariantur.

Contra alii cum *Rodrig. tom. 1. 232. regul. q. 8. art. 7.* Suar. l. 2. de LL. c. 18. n. 18. *Mirand. Man. Prælat. tom. 2. q. 42. art. 3. v. sed alii Reiffenstuel hic n. 139.* & *seqq.* non improbabiler docent, hæc ultima privilegia, quæ contraria sunt Decretis Trid. si ista clausulam horum privilegiorum Derogatoriam nullam sibi adjectam habeant, ab eodem Trid. non censei revocata, nec contineri in clausula, *Bummodo SS. Canonibus, & Decretis Conc. Trid. non adversentur*: cons. his privilegiis validè, & licitè utuntur Regulares non tantum in foro interno, sed etiam in externo. Ratio est, quia nulla Lex, Constitutio, vel Decretum, quamvis generaliter, vel universaliter latum, derogat particularibus locorum, aut personarum Statutis, Consuetudinibus, aut Privilegiis, nisi hoc exprimat; quia hæc probabiliter Legislator ignorare potest *c. licet 1. de Const. in 6.*

Conf. 1. Trid. in aliquibus suis Decretis addit clausulam derogatoriam consuetudinum, vel privilegiorum contrariorum, in aliis eam clausulam omittit, atqui frustra adderetur hæc clausula, si revocata essent omnia, etiam illa, respectu quorum clausula talis non apponitur, ergo &c. 2. communis, & indubitata doctrina est apud omnes ferè DD. & ipsos etiam Adversarios, quòd Trid. per sua Decreta generalia, quæ posita sunt sine ulla clausula derogatoria, non deroget specialibus Statutis, vel Consuetudinibus Locorum, aut personarum, ergo nec privilegiis, quæ extra Corpus Juris communis habentur; nam de his eadem, quæ de illis, habetur ratio, cons. eadem est Juris dispositio. 3. aliàs Trid. derogasset omnibus omnino privilegiis Regularium; nam omnia ista sunt contra Jus commune, & SS. Canones concessa. Trid. autem *sess. 25. cit. de regul. vult SS. Canones, & Leges Ecclesiasticas omnes indistinctè observari.* ergo &c. 4. consuetudo est optima interpret Legum. atqui videmus passim vigere consuetudinem, quòd Regulares liberè utantur suis privilegiis, quæ per Trid. expressè revocata non sunt, etsi alioquin contra aliquod ejusdem Concilii Decretum,

tum; sine derogatione privilegiorum positum, militent. ergo &c.

239 Ad Argumenta contraria non difficilis est responsio. Ad 1. Trid. sess. 25. c. 22. cit. tantum derogat privilegii Regularium, adversantur alicui ex Decretis cit. sess. positis de ipsis Regularibus; non verò per clausulam illam derogat privilegiis, quæ militant contra aliquod Decretum, in præcedentibus Sessionibus absque derogatione privilegiorum positum: quod constat ex ipso textu; nam c. 22. cit. præcipit observari omnia, & singula NB. in superioribus Decretis, scilicet sess. 25. cit. de Regularibus specialiter habitæ, contenta. Igitur per alia Decreta, in aliis Sessionibus sine derogatione posita, privilegiis Regularium non voluit derogare.

Ad 2. Bulla illa per suam clausulam vult quidem, ut non obstantibus privilegiis, omnia Decreta Conc. Trid. exactè observentur, sed non in alio sensu, quam in quo observari ea vult ipsum Trid. quia Bulla hæc est confirmatoria Decretorum Trid. atque Bullæ Confirmatoris alicujus Legis necessariò intelligi debent juxta sensum, & mentem Legis, quæ corroborat, ita, ut easdem limitationes, & extensiones, quas habet, vel recipit corroborata, recipere etiam debeat corroborans, ut cum Gloss. & Felu. bene advertit Reiffenstuel n. 146. ergo &c.

240 Queritur 4. quid, & cujus valoris sint privilegia vivæ vocis Oraculo concessa? R. 1. vivæ Vocis Oraculo concessa privilegia dicuntur illa, quæ Princeps v. g. Pontifex sola voce, seu oretenus duntaxat concessit, quamvis subinde, ut etiam pro foro externo probari possint, postea in scripturam redigantur, & testimonio authentico ab iis, quibus ex officio hoc incumbit, fide digna reddantur, Reiffenstuel hic n. 194.

241 2. Pro foro interno sunt ejusdem valoris, cujus sunt privilegia in scriptis concessa: nam ut n. 13. dictum est, ad effectum, & substantiam privilegii scriptura non requiritur. Ut verò etiam in foro externo praticari valeant, non sufficit illa esse concessa, sed insuper requiritur, ut testimonio authentico confessio illorum probetur. Donat. tom. 1. p. 1. tr. 15. q. 5. n. 5. Reiffenstuel n. 151. & patet ex Const. Julii II. incipit Romani, ac Reg. Cancell. 52. Ratio est, quia aliàs quivis dicere posset, se habere privilegium vivæ vocis oraculo concessum, sicque prætextu oraculi vivæ vocis eludere Leges, & Canones in foro externo, non sine perturbatione boni communis.

242 Hodie omnia, & singula privilegia, vivæ vocis oraculo concessa quibuscunque Capitulis, Ordinibus, vel personis eorum

à quocunque tandem Pont. usque ad Urbanum Papam VIII. pro foro utroque sunt revocata, ita, ut nec in foro externo, nec in interno hujusmodi privilegii amplius uti liceat, etsi ad supplicationem Regum sint concessa, ac de iisdem verè concessis Cardinales ferant testimonium propria manu scriptum, nisi per Officiales, & ministros illos, quibus incumbit verè concessis privilegiis, & favoribus per Pont. oretenus concessis, aut in futurum concedendis fidem facere, authentizata sint, ut patet ex Const. Gregorii XV. incipit Romanus, & Urbani VIII. incipit aliàs, quæ in Bullario Cherubini inter Constitutiones dicti Pontificis est 21. Secus, si ut dictum est, authentizata sint; tunc enim etiamnum valent, etiam pro foro externo, prout expressè declaravit laudatus Urbanus VIII. Const. quæ etiam incipit aliàs, & existit in Bullar. Cherub. inter Bullas hujus Pont. 141. Similiter valent pro foro conscientie vivæ vocis oraculo concessa privilegia, si postea sint confirmata per specialem Bullam ex certa scientia, & de Apostolica potestate plenitudine; nam Confirmatio talis novum jus, novamque concessionem efficit. Reiffenstuel hic n. 160.

4. Privilegia, quæ post Urbanum VIII. à Successoribus Pont. vivæ vocis oraculo concessa sunt, Constitutiones istius, & Gregorii XV. non efficiunt. Hinc valent saltem pro foro conscientie, etiam si dicto modo authentizata non sint; quia memorati Pontifices suis Constitutionibus non voluerunt, nec potuerunt Successoribus suis ligare manus, cum par in parem potestatem non habeat. Ut verò etiam pro foro externo valeant, non sufficit quodvis testimonium de eorum concessione ceteroquin fide dignum, sed debet esse tale, quoad probandum in foro externo aliàs requiritur, & sufficit: non tamen necesse est testimonium Officialium n. præc. relatorum; quia hoc solum ab Urbano VIII. requiritur ad probanda Oracula præcedentia, non verò ad futura se extendit. Reiffenst. n. 164.

Queritur 5. quando revocatio privilegii vim suam, & effectum habeat? R. cum fuerit sufficienter promulgata. Si per Legem contrariam revocatio fiat, sufficit hanc promulgari in Curia, vel loco ad id constituto: quo factò non quidem statim à die promulgationis, sed post tempus necessarium ad ejus obligationem, quod in Legibus Civilibus regulariter est duorum mensium, in Canonicis juxta stylum Curie Romanæ brevius, aut longius, revocatio sic facta effectum sortitur, ita, ut etsi aliqui adhuc in particulari invincibiliter ignorent revocationem factam, tamen privilegia elapso illo tempore non amplius

plius profint, nec uti iisdem privilegiati valide possint, Suar. l. 2. de LL. c. 40. n. 1. & segg. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. ult. Piring n. 197. Reiffensueln. 133. Ratio est, quia in Legibus communiter attenditur ad id, quod per se, & regulariter fieri solet, non verò ad ea, quæ raro, & per accidens fiunt. talis autem est in præfenti ignorantia Legis revocatoria. ergo &c.

245. Quodsi revocatio privilegii fiat ab homine, seu privatim, ea non habet effectum, priusquam privilegiato specialiter intimetur. Suar. n. 6. Laym. n. 28. Palao p. 21. §. 5. n. 2. qui cum pluribus aliis addit, non sufficere casualem notitiam, sed opus esse, ut ad privilegiatum sit ali-

quo modo destinata per Rescriptum, Epistolam, vel Nuntium ad id constitutum. Quòd specialis intimatio fieri debeat, ratio est, quia ad rectam Reip. & Ecclesie gubernationem pertinet, ut Princeps velit privilegiatos privilegijs suis uti tamdiu, usque dum agnoscant esse revocata; aliàs vellet plures actus invalidos fieri, quod non est credendum de Christiano Principe. Quòd verò non sufficiat casualis notitia, indè videtur probari; quia per quas causas aliquid nascitur, per easdem etiam dissolvitur, privilegium autem vim suam contra absentem obtinere incipit per destinationem Nuntii, Epistolæ &c. ergo simili modo revocari, & tolli debet.

S. VII.

De Privilegio Exemptionis.

S U M M A R I U M.

246. Quid sit Exemptio?

247. &c. Quotuplex?

250. Quo Jure introducta?

251. Coram quo Judice conveniendi sint Clerici, & Religiosi Exempti?

252. An per privilegium Exemptionis Exempti omnino subducantur à Jurisdictione Episcopi?

253, 254. Quibus casibus hoc subjecti sint?

255. An coram isto conveniri possint ratione delicti, vel contractus?

256. &c. Quomodo acquiratur Exemptio?

260. An si exempti sint Clerici alicujus Ecclesie, etiam exempta sit ipsa Ecclesia?

261. Si Monasterium, etiam Capella ipsi subiecta?

262. Si Abbas, etiam Monasterii membra?

263. Si Ecclesia, vel Monasterium, etiam Clerici, & Religiosi?

264. An exemptus respectu certi loci, seu rei, sit etiam exemptus respectu alterius loci, vel rei?

265. An Exemptioni renuntiari valeat?

266. &c. An, & quomodo probari debeat privilegium Exemptionis?

268. &c. Quis debeat esse tenor Litterarum Apostolicarum, ut ex iis Exemptio colligi, & probari possit?

273. &c. Quis sit Judex litis motæ super Exemptione?

275. &c. An lite, super Exemptione mota, & pendente, Ordinarius contra partem, eâ se tuentem, possit uti Jurisdictione sua?

280. &c. An Exemptio rectè colligatur ex administratione concessâ?

Requentissima Privilegii istius sit mentio, & crebræ sunt Exemptos inter, & Ordinarios lites. Unde non abs re erit, ea, quæ magis necessaria de hoc sunt, Appendicis loco annectere.

246. Quaritur 1. quid, & quotuplex sit Exemptio? 2. est liberatio à Jurisdictione Ordinarii, sive est privilegium, quo persona, vel locus ab Episcopi, vel alterius Superioris, Ordinariam Jurisdictionem habentis, potestate subtrahitur, & immediatè subijcitur Papæ. Cockier de Jurisd. Ord. in Exempt. p. 1. q. 1. à n. 3. Engl. hic n. 22. Wiestner ibid. n. 62.

247. Triplex communiter dividitur, Personalis, Localis, & Mixta. Personalis est, quæ adhaeret personæ, eamque sequitur, quocumque veniat Reg. privilegium 7. in 6. Franc. in 5. 1. §. in eos b. tit. in 6. Engl. n.

22. Wiestner n. 63. Localis, quæ locus v. g. Ecclesia, Capella, Monasterium, territorium subtrahitur Jurisdictioni Ordinarii, ita, ut licet in Dicecesi sit, non ramen sit de illius Dicecesi, sed loco extra eam sito æquiparetur c. cum Capella 16. b. tit. Gloss. in Clem. 1. V. primo anno de Excess. Prælat. Barbof. in 6. cum Episcopus 7. de Offic. Ord. in 6. n. 8. Engl. Wiestner l. cit. Mixta, quæ personæ, & loca, eorumque res ab Ordinarii potestate eximuntur, ita, ut iste neque in locum, neque in personas illius Jurisdictionem suam exercere, vel Tribunal ibidem pro Jurisdictione in alios exercenda erigere sine licentia proprii Prælati possit c. cum Episcopus cit. Donat. tom. 1. prax. Regul. p. 2. tr. 23. q. 1, n. 4, Engl. Wiestner l. cit.

Hinc

248 Hinc duplex genus Exemptorum est; nam aliqui dicuntur *nullius Diocesis*, qui habent speciale territorium, ac populum exemptum, ubi Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, ac *Ordinarii* nomine veniunt, quamvis ipsi Episcopi non sint, sed tantum Prælati, vel Præpositi, aut similes. Alii verò dicuntur esse *in Diocesi, non tamen de Diocesi*, qui quidem quoad suas personas, vel particularem aliquem locum v. g. Monasterium exempti sunt, certum autem populum, aut territorium exemptum non habent, sed intra fines certæ Diocesis, sive Episcopatus existunt. Engln. 23.

249 Item alia est Exemptio *tam in capite, quam in membris*, quando scilicet non tantum locus principalis sive Monasterium, aut Collegium exemptum est, sed etiam omnes Capellæ, Beneficia, & Parochiæ annexæ. Alia *in capite tantum*, quando tantum ipse locus principalis exemptus est, non autem annexæ Parochiæ, vel Beneficia *c. ex ore 17. b. tit.* Quo posteriori casu illud notandum est, quod Abbas v. g. exemptus pro talibus locis non exemptis Episcopo reverentiam exhibere, ad Synodum Diocesanam venire, ejusque mandata super illis membris suscipere teneatur, ita tamen, ut in Synodo Diocesana prærogativam, & primum post Episcopum locum obtineat *c. ex ore cit.*

250 Dub. 1. quo Jure introducta sit Exemptio, communi, an speciali? *re. negativè; distinguendo inter Legem Diocesanam, & Jurisdictionalem Episcopi. A Lege Diocesana Religiosi, & horum Monasteria, seu Conventus exempti sunt ex dispositione Juris communis, prout patet ex can. inter cetera 2. & ne ergo caus. 10. q. 3. & can. cum pro utilitate 34. & ea vero caus. 16. q. 1. A Lege Jurisdictionali Exemptio eis competere cœpit Jure speciali: quamvis deinde aliqua hujusmodi privilegia eximentia à Jurisdictione Ordinarii cum tempore inserta sint Corpori Juris communis c. nimis 15. & 16. de Excess. Prælat. Clem. 1. eod. Clem. 2. de censib. &c.*

251 Dub. 2. coram quo Judice conveniendi sint Clerici, & Religiosi exempti? *re. conveniri debent coram proprio Prælati, qui in illos Jurisdictionem quasi Episcopalem habet, ac propterea in eos potest, quod Episcopus in Diocesanos suos; vel apud Papam, aut ejus Legatum à Latere; nam etiam huic Jurisdictio in personas, & loca exempta competit, ut patet ex c. veniens 1. de V. S. in 6. & c. si Abbatem 36. de Elect. in 6. Et hinc, quando Papa aliquem eximit à Jurisdictione cujuscunque Ordinarii, eum non censetur eximere à potestate Legati à Latere,*

Cockier p. 2. q. 2. n. 7. Barbof. in c. 4. de Offic. Legat. n. 10. Wiestner hic n. 65. cum aliis. Ceteri verò Legati tam ii, qui Nati dicuntur, quam qui Nuntii Apostolici, in causis Exemptorum intromittere sese nequeunt, nisi, ut aliquando Nuntii cum potestate Legati à Latere missi muniti sint speciali ad hoc mandato, seu commissio- ne. Gloss. in c. Abbatem cit. V. commissum, Donat. prax. Regul. tom. 1. p. 2. tr. 13. q. 9. n. 2. Wiestner hic n. 65.

Dub. 3. an per privilegium Exemptionis Exempti omnino subducantur à Jurisdictione Episcopi? *re. negativè; habet enim in certis casibus Jurisdictionem erga illos, aliquando Delegatam, & aliquando Ordinariam. Delegatam tunc habere censetur, quando in Jure dicitur, ut, contra Exemptos autoritate Apostolica, vel tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus procedat, Ordinaria verò tunc datur Episcopo in Exemptos, quando ei in illos simpliciter conceditur Jurisdictio, vel illa clausula additur, non obstantibus privilegiis, & Exemptionibus quibuscunque; tunc enim remoto Exemptionis privilegio, procedit Episcopus tanquam Ordinarius. Si Episcopus adversus Exemptos procedat, ut Apostolicæ Sedis Delegatus, ab eo Summum Pont. si ut Ordinarius, ad Metropolitanum appellandum erit, ut cum Barbofa notat Engln. hic n. 34. qui addit, etiam hoc casu ab Exemptis ad Pontificem appellari posse, & aliquando etiam expedire, ne successu temporis inferiores Judices majorem sibi adversus istos Jurisdictionem quarant. Et ratio universalis est, quia Pontifex cum omnibus inferioribus Judicibus concurrentem potestatem habet, & quilibet omnino suo Ordinario, immediate agere apud Sedem Apostolicam potest.*

Dub. 4. quibus casibus Regulares Exempti subsint Episcopo, tanquam Ordinario? *re. 1. subsint eidem in omnibus, quæ sunt Ordinis Episcopalis, ut est susceptio Ordinum, consecratio Ecclesiarum, petitio Chriftmatis c. veniens 19. de Prescription. 2. in observatione Festorum, quæ ab Episcopo indicuntur, & Censurarum ab eo promulgatarum, Trid. sess. 25. c. 12. de Regul. 3. in Censura Librorum. Trid. sess. 4. de Edit. Libr. 4. in vocatione ad Processiones publicas, & controversiis de præcedentia in iis, & funerum deductione exortis. sess. 25. cit. c. 13. de Regul. 5. in approbatione ad Confectiones Sæcularium audiendas. sess. 23. c. 15. de Reform. 6. in erectione Monasteriorum, Ecclesiarum &c. sess. 25. c. 3. de Regul. 7. in promulgatione Indulgentiarum, à Papa impetratarum. sess. 21. c.*

21. c. 9. de Reform. & Indulgentias verò. §. quoad prædicationem Verbi Divini in Ecclesijs, quæ sui Ordinis non sunt. Sess. 5. c. 2. & si verò de reform. 9. quoad executionem ultimarum Voluntatum. Clem. un. de Testam. &c.

254 Dub. 5. quibus Casibus Regulares Exempti subsint Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato? R. 1. quoad Lectionem S. Scripturæ, in Monasteriis habendam. Trid. Sess. 5. c. 1. & in Monasteriis de reform. & declaratum est à S. Congr. Card. Trid. Interpp. teste Fagn. in c. quia in nonnullis 4. de Magistr. n. 30. 2. quoad Clausuram Monialium. Sess. 25. c. 5. de Regul. 3. quoad Electiones Abbatissarum ex Decret. S. Congr. & Const. Greg. XV. apud Fagnan. in c. grave 19. de Offic. Ord. n. 39. 4. in causis Hæresicos, & aliis spectantibus Officium S. Inquisitionis c. ad abolendam 9. & fin. de Heret. 5. si Religiosi Exempti extra Monasterium, & Conventum Regularem degant, & vagentur. Trid. sess. 6. c. 3. de Reform. Alios casus, quibus Exempti subsunt Episcopo vel tanquam Ordinario, vel tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, retuli Libr. 1. Tit. 31. n. 30. & videri possunt apud Barb. de Offic. Episc. alleg. 105. Pirh. ad Libr. 1. Tit. 31. à n. 110. Wiestner hic à n. 85, maxime verò apud Cochier de Jurisd. in Exempt. p. 2. q. 45. ubi enumerat ejusmodi Casus omnino 116.

Dub. 6. an, & quatenus Exempti Jurisdictione Episcopi, non obstante privilegio Exemptionis, conveniri coram eodem possint ratione delicti, vel contractus? R. distinguendo, an privilegium illud sit personale, an locale, vel mixtum. Si exemptus habeat privilegium personale, est extra locum exemptum deliquerit, vel contraxerit, ratione tamen illius delicti, vel contractus non foritur forum in illo loco, sed exemptus manet à Jurisdictione Ordinarii, & conveniri solum potest apud Prælatum suum: & ratio est, quia aliàs privilegium Exemptionis esset omnino inutile, & elusorium arg. l. quoties 3. c. ubi senator. & Clariss. &c. Pirhing hic n. 50. Wiestner n. 75. Excipitur, nisi sint vagi; nam tunc, ut n. præc. dictum est, subsunt Episcopo, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, & ab hoc puniri, si deliquerint, possunt.

Si verò exemptus sit tantum ob privilegium locale ratione loci exempti, Exemptio non egreditur locum, ratione cuius exemptus est, & hinc solum conveniri, vel puniri ab Ordinario nequit, quando deliquit, vel contraxit in loco exempto: si verò deliquit, vel contraxit extra

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

locum exemptum, Exemptio illi non proderit, sed respondere Ordinario citanti debet, & subire Sententiam, vel pœnam ab hoc taxatam, ut habetur c. volentes 1. b. tit. in 6. & notat Gloss. in c. tuarum 11. b. tit. 7. privilegiu beneficiu, Abb. ibid. n. 8. Pirhing n. 50. Wiestner n. 76. Excipitur, nisi Exemptio sit specialiter concessa etiam ratione delicti commissi, contractus initi, aut rei sitæ extra locum exemptum; tunc enim, ubicunque deliquerit, aut contraxerit Exemptus, vel res sita sit, coram Ordinario loci conveniri non potest, ut fuse probat Fagnan. in c. tuarum cit. n. 9. & seqq. Addidi specialiter concessa, scilicet cum expressione specifica delicti commissi, vel contractus initi, aut rei litigiosæ sitæ in loco non exempto; nam si generaliter solum, & indefinitè Exemptio fiat, ut si dicatur, Tales eximimus à Jurisdictione, & potestate, sive etiam ab omnimoda potestate Ordinarii, probabilius non gaudent exemptione in tribus prædictis casibus delicti commissi, contractus initi, & rei sitæ, si extra locum exemptum fiant c. postulasti 14. & c. fin. de for. compet. c. Romana 1. §. contrabentes, & §. seq. eod. in 6. c. cum plantare 3. b. tit. Gloss. in c. tuarum cit. 7. privilegiu beneficiu. Pirhing n. 51.

Quæritur 2. quomodo acquiratur 256

Exemptio? R. acquiri quatuor ferè modis. 1. Privilegio Apostolico: & hoc modo plurima Monasteria, & integri Religiosi Ordines ab Ordinariis potestate exempti, & immediatè soli Papæ subiecti sunt, Dantur autem hujusmodi privilegia sæpe à Summis Pont. ad instantiam Principum, & Magnatum, Ecclesias, & Monasteria extrucentium, & dotantium ea lege, ut ab Ordinariis essent exempta; aliquando etiam ex mera indulgentia, & benignitate Pont. sic amplificantium auctoritatem Sedis Apostolicæ, cujus interest habere multos sibi immediatè subiectos, & consulentium sibi quieti, & tranquillitati Religionum, & Monasteriorum variis gravaminibus oppressorum, ut videre est c. nimis 15. §. 6. item Clem. 1. de Excess. Prælat. Lomedeus de Exempt. Ecclesiast. c. 4. à n. 1. Wiestner hic n. 68. Aliam datæ Exemptionis causam assert Petrus Bleffensis l. 3. Epist. 28. quod cum Episcopi, non, ut olim, ex Monachis, & Canonicis disciplina Regulari diu excultis, sed ex Sæculari Clero modò assumi soleant, ad Regularem observantiam debito modo promovendam cum tempore minùs idonei esse cœperint, & propterea Regularium Congregationes eorum Jurisdictioni subtractæ fuerint.

2. Acquiri Exemptio potest concessio 257

ne Episcopi, saltè in limine foundationis

K

Ec

Ecclesie, vel Monasterii &c. cum enim in illa jus superioritatis tunc nondum absolute quassum sit Episcopo, ei cedendo non censetur alienare aliquid sui Juris Episcopalis. Cockier de Jurisd. in Exempt. p. 1. q. 3. n. 5. Dixi, saltem in limine fundationis &c. nam utrum etiam hoc potuit post fundationem factam, controversia est inter DD. quorum pugnant sententias in concordiam reducens Barbof. Episc. alleg. 89. n. 5. ait, Exemptionem Ecclesie, vel Monasterio jam subiecto concedi quidem ab Episcopo posse, sed non nisi ex justa causa, & accedente consensu Capituli, juxta Regulam sumptam ex can. sine exceptione 52. caus. 12. q. 2. c. nulli 5. & tot. tit. de reb. Eccl. non alien. Addit Barbof. l. cit. n. 6. Exemptionem hanc ab Episcopo datam non ita plenam esse, ut ea est, quam dedit Pontifex; nam sic exempti ad jus reverentiale Episcopo tenentur non tantum ratione Dignitatis, sed etiam ratione Jurisdictionis: ius vero, qui Privilegio Apostolico Exemptionem habent, etiam Exemptio a reverentiali Jure concessa censetur.

238 3. Sententia contra Episcopum pro Monasterii vel Ecclesie Exemptione lata, si ab ea intra decennium appellatum non fuit, & sic illa transit in rem judicatam c. cum inter 13. de sent. & re judic. quia sententia lata contra jus litigatoris, si ab ea intra decennium non appelletur, ob transitum in rem judicatam jus facit inter partes, & pro veritate habetur c. cum inter cit. l. ingenium 25. de stat. homin. l. res judicata 207. ff. de R. J. Abb. in c. cit. n. 4. Felin. ibid. n. 4. Barbof. alleg. cit. n. 3. Cockier q. 3. cit. n. 8. Wiestner hic n. 70.

239 4. Prescriptione, ut habetur c. cum olim 14. v. quia vero b. tit. c. cum persona 7. v. si autem eod. in 6. c. auditis 15. & c. cum olim 18. de prescript. qui enim usucapi patitur, alienare non videtur. Balb. de prescript. p. 5. pr. p. 1. q. 12. n. 1. Cockier q. 3. cit. n. 7. Barbof. n. 7. Wiestner n. 71. Et sufficiunt ad hujusmodi Prescriptionem anni 40. maxime quoad membra non exempta, si caput exemptum sit c. cum olim cit. de prescript. c. ex ore 17. b. tit. & cum aliis docet Abb. in c. cum non liceat 12. circ. fin. de prescript. Neque obstat, quod juxta c. cum non liceat cit. contra obedientiam prescribi non possit; nam hoc solum intelligi debet de prescriptione, qua manente subiectione, tolleretur obligatio obediendi Pralato, vel qua fieret, ut Ecclesia, vel Monasterium nemini esset subiectum. Balb. l. cit. n. 2. Cockier q. 6. n. 14. Barbof. in c. cit. n. 3. fin.

240 Dub. 1. an si exempti sint Clerici alius Ecclesie, etiam exempta sit ipsa Ecclesia? R. negativè: & hinc Episco-

pus per Exemptionem datam Cleri is alius Ecclesie nihil juris perdit in Ecclesia, prater Jurisdictionem in Clericos. Franc. in c. per exemptionem 9. n. 3. b. tit. in 6. Cockier q. 13. fin. Pirhing n. 48. qui hoc extendunt etiam ad casum, quo populus exemptus est; tunc enim non hoc ipso censetur exempta Ecclesia. Ratio est, quia verba privilegii Exemptionis, cum odiosa hæc sit, strictè sumuntur, per regul. Odiâ 15. in 6.

Dub. 2. an, cum exemptum est Monasterium, vel Ecclesia, etiam exempta sint Capellæ ipsi subiectæ? R. non esse exemptas; nisi Monasterio pleno jure subiectæ sint c. ex ore 17. b. tit. Ratio est, quia hoc privilegium, ut n. præc. dictum est, odiosum est, & conf. non extendendum. Gloss. in c. cit. v. que non probantur, Abb. ibid. n. 4. Gonzal. n. 3. Pirhing n. 42. Adeoque in hujusmodi Capellis Episcopus retinet omnia Jura Episcopalia; Neque obstat, quod de connexis sit idem iudicium c. translato 3. de Constit. item quod totum, & pars debeant eodem jure censeferi; quia hoc non procedit in odiosis, & exorbitantibus, quæ non sunt connexa necessariò, & inseparabiliter. Barbof. in c. ex ore cit. n. 6. Aliud est, si hujusmodi Capellæ pleno jure subiectæ Monasterio exempto; nam tunc etiam ipsæ exemptæ erunt c. quoniam 21. b. tit.

Dub. 3. an quando Abbas ratione sui exemptus est, etiam exempta sint Monasterii membra, quibus ille præest; vel quando exempta est Ecclesia, exemptus sit etiam populus, & Vicarius illius Ecclesie? R. ad 1. negativè: sed Episcopo subiunt, & ipse Abbas ratione horum conveniri coram Episcopo loci potest, & coram hoc tenebitur ille comparere. Item ejusmodi Abbas cogetur interesse Synodo Diocesana, & hujus mandata super illis suis membris suscipere, ita tamen, ut in eadem Synodo prerogativam, & primum post Episcopum locum habeat. Ad 2. exempta Ecclesia, non hoc ipso exemptus est populus; quia, ut sæpe dictum, exemptio est odiosa, & præjudicat potestati Episcopi; unde non est extendenda ad populum. Gloss. in c. per exemptionem cit. Joan. Andr. n. 2. Franc. n. 3. not. 5. Pirhing n. 46. Ad 3. distinctio est adhibenda; nam quoad ea, quæ ad curam populi spectant, Exemptionem non habet, per exemptionem cit. quoad personam verò exemptus erit, cum est de corpore illius Ecclesie. Cockier p. 4. q. 37. quem citat, & sequitur Pirh. n. 46. cit.

Dub. 4. an exempta Ecclesia, vel Monasterio, exempti sint etiam ejus Clerici, vel Religiosi? Rationem dubitandæ faciunt hæcenus dicta; nam 1. exemptio, ut

ut præjudicans potestati ordinariæ, est odiosa, & strictæ interpretationis. 2. exempta Ecclesiâ, non hoc ipso exempta sunt Capellæ ei subiectæ, vel Parochiani illius, aut Presbyteri curam illorum gerentes. Secundum dicta n. 261. § 262.

3. exemptis Clericis, vel Canonicis, non hoc ipso etiam Ecclesia est exempta, ut dictum est n. 260. Sed dicendum, exemptâ Ecclesiâ, vel Monasterio, non solum exemptum esse eorum ædificium cum cæmeteriis, atriis, hortis, & aliis eo inclusis, vel annexis, sed ipsum etiam Prælatum cum Canonicis, & aliis ejus ministris, & Abbatem cum Religiosis, etiam Conversis, & perpetuò oblatiis, Franc. in c. per exemptionem cit. n. 1. Pirhing n. 46. Wiestner n. 72. & aperte decisum est c. cit.

Ratio est, quia appellatione Ecclesiæ, vel Monasterii veniunt etiam Canonici, Monachi, & alii ejus ministri, sive personæ ad cultum Divinum deputatæ, & omnium maximè Abbas, seu Prælatus c. relatum 12. de Testam. atque hinc cadit Argumentum 1. in contrarium allatum; negatur enim quòd hoc casu fiat aliqua extensio, cum Prælatus, & Clerici, vel Religiosi subditi nomine Ecclesiæ, & Monasterii comprehendantur. Ad 2. negatur paritas; nec enim ita, ut Clerici cum Ecclesia sua, & Religiosi cum Monasterio, connexionem cum Ecclesia exempta habent Capellæ, & populus ei subiectus, cui cum adhareant Presbyteri curam ejusdem habentes, mirum non est, quòd etiam ipsi, saltem quoad curam, subiecti Ordinario maneant. Ad 3. iterum negatur paritas; quia dispositio relata ad rem contentam non includit continentem. Wiest. n. 74. §. neque contra, & ab eo cit.

364 Dub. 5. an exemptus respectu certi loci, seu rei, sit etiam exemptus respectu alterius loci, vel rei? R. negativè. Constat ex c. cum Capella 16. h. tit. Ratio est, quia privilegium datum personis respectu certi loci censetur potius esse reale, quàm personale; cum enim cedat in præjudicium potestatis, & Jurisdictionis Ordinarii, strictè est interpretandum, & restringendum ad locum, respectu cujus datum est. Et hinc si Canonicus e. g. qui in loco exempto possidet aliquod Beneficium, possideat aliud Beneficium in loco non exempto, & ibi delinquat, ab Episcopo etiam per Ecclesiasticam Censuram coerceri, atque puniri potest: & ratio est, quia tantum est privilegiatus, quamdiu moratur in loco exempto.

365 Dub. 6. an Exemptioni renuntiari valeat? Angelus in §. 2. Inst. de Except. n. 42. distinguit, & negat, renuntiari posse exemptioni concessæ toti Ordini R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

ligioso à privatis Religiosis; concedit autem posse renuntiari exemptioni concessæ suæ tantum personæ, ex ratione, quia favori suo cuilibet permixtum est renuntiare c. si de terra 6. b. tit. Sed melius negatur, renuntiari posse exemptioni concessæ etiam pro sua tantum persona, sine licentia Summi Pontificis, exemptionem hanc concedentis. Abb. in cap. 5. de arbitr. n. 2. § 7. Sylv. V. Exemptio n. 11. Cockier p. 3. q. 34. Barbos. alleg. 105. n. 76. Wiestner hic n. 82. Sumitur ex c. cum de tempore 5. de arbitr. ibi, Cum est spontè volueris, de Jure tamen nequiveris, sine licentia Romani Pont. renuntiare privilegijs, vel indulgentiis libertatis: cui consonat c. cum venissent 2. §. igitur de in integr. restit. & c. cum olim 14. §. nos igitur h. tit. quibus Exemptio nuncupatur non tam jus ipsorum Exemptorum, quàm Papæ, & Ecclesiæ Romanæ. Ratio est, quia privilegium exemptionis introductum est favore non tam exemptorum quàm Sedis Apostolicæ, & Papæ, cujus interest subditos suos ab aliis non judicari, præsertim ab Episcopo alieno. Ex quo cadit ratio allata in contrarium.

Quæritur 3. an, & quomodo probari debeat privilegium exemptionis? R. si privilegium hoc insertum sit Corpori Juris communis aut aliàs notorium, allegans privilegium non tenetur illud probare; imò si ad exemptionem probandam citetur, non tenetur comparere, sed tutus est exceptione fori declinatoriâ arg. c. cum ordinem 6. de rescript. & ibi Abb. n. 6. Laym. n. 8. Wiestner n. 77. Si autem non sit notorium, probari ab allegante exemptio debet; quia est quid facti, quod regulariter non præsumitur, præsertim in nostro casu, ubi Ordinarii præsumptionem in contrarium in Jure communi fundatam habent: ac proinde probandi onus rejiciunt in Adversarium arg. c. fin. de restit. spoliat. in 6. l. cum de indebito 25. ff. de probat. Pacian. l. 1. de probat. c. 8. n. 1. Cockier de Jurisd. in Exempt. p. 1. q. 8. à n. 1. Donat. tom. 1. prax. regul. p. 2. tr. 13. q. 11. n. 1. Wiestner hic n. 77.

Probatur autem exemptio 1. exhibitione Instrumenti, quo illa concessa est, quod fieri debet vel ipsi Judici, vel viris aliis prudentibus, non suspectis ab Ordinario deputandis c. cum persone 7. h. tit. in 6. 2. si exemptio fundetur in sententia Judiciali, quæ in rem judicatam transit, probari potest ex actis, vel Scriptura authentica, continente sententiam latam pro exemptione, aut his deficientibus, ex testium depositionibus, famâ, præsumptionibus, Wiestner n. 79. 3. si fundetur in præscriptione, probanda est per possessionem exemptionis 40. annis cum titulo, vel

sine hoc tempore immemoriali continuatam, & nunquam interruptam arg. c. *Episcopum 1. de prescript. in 6. Balb. de prescript. p. 5. pr. p. 1. q. 12. n. 4. Cockier p. 1. cit. q. 8. n. 8. Barbol. in c. cum persona cit. n. 6. Wiestner n. 80. hic.*

268 Dub. 1. quis tenor debeat esse Litterarum Apostolicarum, ut ex iis Exemptio colligi, & probari possit? *v. plures esse hujusmodi formulas: neque necesse est, ut expressè, in Rescripto, continente tenorem privilegii, dicatur, quòd Pontifex talem personam, Ecclesiam, vel Monasterium &c. à potestate Ordinarii eximat, sed sufficiunt verba æquivalentia. Talia sunt 1. si in ejusmodi Rescripto dicatur Ecclesia aliqua, vel Monasterium existere Juris B. Petri, vel ad proprietatem Rom. Ecclesie; ad Sedem Apostolicam, aut Ecclesiam Romanam specialiter, vel nullo mediante, aut etiam simpliciter pertinere c. in tempore 5. fin. de Arbitr. c. cum venissent 2. y. nos igitur de integr. restit. c. si Papa 10. h. tit. in 6. & ratio est, quia cum verba hæc specialem aliquam gratiam conferre velint, intelligi nequeunt de generali illa subjectione, quæ omnes per Orbem totum Ecclesie ad Romanam Ecclesiam pertinent, sed de speciali intelligi debent, quæ est Exemptio.*

269 2. Si dicatur in privilegio, quòd Ecclesia talis Ecclesie Romanæ annuum Censum solvat, in signum, & indicium libertatis ab ea perceptæ; nam libertas; & exemptio idem sonant. Dixi autem, in signum Libertatis; ex sola enim Censûs annui solutione, facta Romanæ Ecclesie, non probatur Exemptio c. *receptimus 8. h. tit.* Ratio est, quia solutio Censûs plura significare potest, scilicet subjectionem, protectionem, vel Exemptionem, igitur ex ea non bene concluditur exemptio. Accedit, quia non omnes Ecclesie exemptæ solvunt Censum, nec omnes, quæ solvunt, sunt exemptæ.

270 3. Si aliqui à Papa recipiantur in proprios, & speciales subjectos; quia Papa non recipit aliquos in proprios, & specialiter sibi subjectos, si adhuc subjecti essent alii. *Pirhing n. 32. hic.* Dixi, in proprios, & specialiter sibi subjectos: non enim sufficit, si dicat, se eos recipere in proprios, & speciales filios Romanæ Ecclesie; nam hi non idcirco exempti sunt c. *si papa cit.* & ratio est, quia recipiendo in filios solum videtur illos recipere in amorem fidelem: neque sequitur, quòd receptus in filium sit specialiter subjectus; quia filius subjectus patriæ potestati potest insuper esse subjectus potestati alterius. *Neque obstat, quòd, si dominus servum suum apud Acta filium nominet is servitute eximatur l. un. §. similique 10. C. de Latin. libert. tollend.* Ratio disparitatis est, quia dominus conceden-

do Libertatem servo sibi soli præjudicat; at verò per Exemptionem fieret præjudicium ordinariæ Jurisdictioni Episcopi, quæ est favorabilis.

4. Si Ecclesia dicatur esse libera ple-²⁷¹na libertate, libertate Romanæ Ecclesie, vel ejus prærogativâ speciali gaudere c. *si Papa cit. y. & est idem.* Dixi, *prærogativa speciali*; nam ex Litteris protectionis, quibus personæ, etiam expresso nomine, cum omnibus rebus suis sub Apostolica Sede existere declarantur, non probatur sufficienter Exemptio c. *ex parte 13. h. tit.* Ratio est, quia licet Pontifex, aut alius Prælatus aliquos recipiat sub sua protectione, non tamen ideo Jurisdictioni Ordinarii eos subtrahit, sed tantum significat promptam assistentiam; quæ, si sic receptus in persona, vel rebus suis injustè gravetur, contra sic gravantem ita recipiens eum velit defendere, & ipsum gravantem per Censuras ad plenam restitutionem, & satisfactionem compellere.

5. Si caveatur, ne Episcopus ibi Cathedralam suam collocare, vel quamlibet potestatem exercere, aut ordinationem aliquam facere audeat *y. & est idem cit.* Omitto plures alias formulas, quibus probari Exemptio potest: ubi notò, plurimum valere, attendique debere mentem Papæ; nam, ut sæpe dictum, verba menti, non mens verbis est conformanda. Ex eadem ratione non probatur Exemptio, si in Litteris Pontificiis solum incidenter narretur, personam aliquam, vel Ecclesiam esse immediatè subjectam Papæ; nam etsi in potestate Pontificis sit eximere, tamen præcisè narrando non videtur concedere velle privilegium Exemptionis, sed potius aliunde datum supponit. Debent igitur verba, quibus conceditur privilegium, esse assertiva, sive dispositiva; nam hæc sola plenam probationem Exemptionis pariunt.

Dub. 2. quis sit Judex litis motæ su-²⁷²per Exemptione? Videtur de hac posse cognoscere Episcopus; quia in ea questio est, an Episcopo competat Jurisdictio, atqui Judicis est cognoscere, & decernere, an sua sit Jurisdictio *l. ex quacunque 2. ff. si quis in jus vocatus &c.* Conf. Exempti requisiti privilegium suum, quando illud Corpore Juris communis clausum, vel notorium non est, tenentur Ordinario exhibere, & tradere transcriptum cum articulis, de quibus controversia est *c. cum persona 7. y. nos volentes h. tit.*

Sed dicendum, cognitionem, & de-²⁷³terminationem litis, inter Episcopum Diocesenum, & Prælatum inferiorem agitata super exemptione istius, non ad Episcopum, sed ad Romanum Pont. pertinere, *Felin. in c. 20. de Rescript. n. 24. Abb. in c. 14. de Censib. n. 4. Cockier de Jurisd. in Exempt. p. 3.*

p. 2. q. 12. Wiestner hic n. 83. cum alijs. Sumitur ex c. cum venissent 12. de Judic. quo privilegij Apostolici interpretatio Papali iudicio reservatur. Ratio est 1. quia Legem & privilegium authenticè, & judicialiter interpretari ejus est, cuius est illam condere, & hoc concedere c. inter 31. §. ut igitur de sent. Excomm. l. fin. §. cum igitur 1. c. de LL. Gloss. in c. cum venissent cit. V. judicari. 2. in hac questione agitur de toto fundamento Jurisdictionis, & de ipsius proprietate, spectante honorem, & commodum Ordinarii; ac proinde de causa ipsius propria, de hac autem judicialiter cognoscere, & pronuntiare Judex Summo Principe inferior nequit h. qui Jurisdictioni 10. ff. de Jurisdic. l. un. C. nequis in sua causa Ec. can. inter 27. junct. Gloss. v. propria caus. 23. q. 4. 3. exemptio magis ipsius Papæ, & Ecclesiæ Romanæ jus est, quam ipsorum Exemptorum c. cum venissent 2. §. fin. de in integr. restit. c. cum olim 17. §. nos igitur h. tit. non potest autem inferior judicialiter cognoscere de jure Superioris. ergo &c.

Atque hinc patet responsio ad Rationem dubitandi. Ad Conf. privilegium Exemptionis Ordinatio exhibendum est, non ut de illo judicialiter cognoscat, ac pronuntiet, sed ut extrajudicialiter ex eo se informet, ut cum Felin. Abb. & alijs notat P. Wiestner hic n. 83.

Dub. 3. an lite, super Exemptione mota, & pendente, Ordinarius contra partem, eam se tuentem, possit uti Jurisdictione sua? R. distinguendo: Vel enim Exemptionem allegans præscriptionis duntaxat obtentu se defendit, vel se fundat in privilegio. Si primum, Ordinarius Jurisdictione sua uti propter assistentiam Juris communis potest, donec præscriptio legitime probata sit. Gloss. fin. in c. 7. h. tit. in 6. Sylv. V. privilegium n. 7. Cockiet p. 2. q. 29. fin. Wiestn. n. 81.

Si secundum, videndum, an aliquis sit in possessione, vel neuter. Si neuter, iterum ob eandem assistentiam Juris uti Jurisdictione sua Ordinarius potest c. cum persone 7. h. tit. in 6. Si unus est in possessione, alter non attendendum, an in possessione sit Ordinarius, an pars allegans Exemptionem. Si Ordinarius, iterum continuare possessionem, & exercere actus illius potest contra allegantes Exemptionem, etiam si se offerant ad exhibendum privilegium, vel alias probationes: neque eo casu Appellationem tenetur recipere; quia tunc procedit ut pars pro conservatione Juris sui, & non ut Judex: atque oblatio probationis non justificat appellationem c. interposita 70. de Appell.

Si verò non Ordinarius in possessione Jurisdictionis suæ adversus allegantes Exemptionem, sed isti in possessione Exemptionis sint, tunc superedere Ordinarius exercitio Jurisdictionis in personam, vel locum controversum lite pendente debet, nec procedere adversus istos potest, aut Censuras minari &c. quia non potest eos privare possessione, vel quasi possessione Juris sui. Abb. in c. 1. ut lit. pend. n. 4. §. 2. Barbof. in c. cum persone cit. n. 7. Wiest. hic n. 81. cum alijs. Potest tamen eo casu petere, ut privilegium Exemptionis exhibeat, vel legitimam præscriptionem probent: nisi Exemptio sit notoria, aut inserta Juri communi; tunc enim citati ad edendum privilegium, vel alia ratione probandam Exemptionem suam non tenentur comparere, cum citatio sit ipso jure irrita, quippe facta à Judice non competente, & contra privilegium.

Quodsi dubium sit, quis sit in possessione, Ordinarius Jurisdictionis, an Regulares e. g. Exemptionis, Ordinarius extrajudicialiter procedere contra eosdem potest etiam comminando Censuras; sed hi appellare ad Pontificem possunt: & tunc si post appellationem sit lata Censura, ea pendebit ex futuro eventu, & invalida erit, si consiterit de Exemptione, valida, si de contrario.

Dub. 4. an casu, quo per privilegium concessum alicui Monasterio exempto est, ut fructus Ecclesiæ sibi subjectæ suos faciat, & in usus suos convertat, Ecclesia illa hoc ipso censetur eximi à Jurisdictione Ordinarii? R. negativè. Sumitur ex c. Pastoralis 19. hoc tit. Ratio est, quia nunquam censetur Pontifex derogare Juri Ordinariorum, nisi id exprimat; & privilegium Papæ semper intelligitur concessum sine gravitatione alterius. Gloss. in c. cit. V. expressum.

Intelligitur ergo solum Monasterio illi concessa administratio in rebus Spiritualibus, & temporalibus, ita tamen, ut Ecclesia maneat in pristino statu: atque hinc si Rector in illa fuit antea institutus, hoc decedente ab eo Monasterio præsentari Episcopo debet alius Clericus, qui instituat in Vicarium perpetuum illius Ecclesiæ, cui etiam alendo relinquenda est portio ex fructibus sustentationi sufficiens; reliquos autem fructus Monasterium vi talis privilegij potest percipere, & in usus suos convertere c. avaritia 10. c. de Monachis 12. de Præb. Innoc. in c. Pastoralis cit. n. 1. Abb. n. 7. Pirh. n. 36.

Aliud est, si alicui Monasterio, vel alteri pio loco concessa sit aliqua Ecclesia pleno jure; tunc enim illa sit exempta à Jurisdictione Ordinarii, & Monasterium

rium exemptum acquirit Jurisdictionem quasi Episcopalem in subditos Ecclesie unitate, ita, ut presentatio, institutio, & destitutio Clericorum ad illud Monasterium deinceps spectet. Ex quo tamen iterum

non sequitur; quod, nisi expresse addatur, fructus illius Ecclesie possit in utilitatem suam convertere; quia, cum ea concessio cedat in prejudicium Ecclesie concessio, concessio strictè interpretari debet.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

SUMMARIUM.

1. Ratio introducte Purgationis.
2. Hujus Definitio, & Divisio.
3. Canonica alicubi etiam in foro Seculari recepta est.
4. &c. Definitio istius, & modus, quo olim fiebat.
5. &c. Quis sit hodie Purgationis Canonice modus?
13. &c. An rectè indicatur accusato, qui criminis, de quo diffamatus est, convinci non potest?
16. &c. A quo indici possit?
19. &c. Cui possit indici?
23. &c. Quando?
28. &c. Quid advertendum circa Compurgatores?
35. Quis sit Effectus Purgationis Canonice?
36. &c. An is, qui rite peracta Purgatione absolutus est, super eodem crimine possit denuo accusari?
40. &c. Que sit pena deficientis in Purgatione?

Post enarrationem Criminum Fori Ecclesiastici sequitur Purgatio, quæ tendit vel ad pœnam infligendam illi, qui diffamatus fuit de crimine, si in Purgatione deficiat, vel ad declarandam illius innocentiam, si rite eandem præstitit: idque jure meritissimo; cum enim delicta manere impunita non debeant, sæpe autem hoc fieret ob defectum probationum, si Purgatio indici non posset, ideo salubriter inventum hoc medium est, ut vel per confessionem propriam veniat Judex in Delicti notitiam, vel si innocens sit infamatus de crimine, à suspitione hujus absolvatur.

Quæritur 1. quid, & quotuplex sit Purgatio? *1.* Purgatio in genere est *offensio innocentie ab objecto crimine.* Sylv. *V. Purgatio pr.* Duplex est, Canonica, & Vulgaris. Hæc *Tit. seq.* declarabitur. Prior Canonica dicitur, quia à Jure Canonico est adinventæ, & ab hoc proin vim & efficaciam suam habet; nam de Jure Civili minus videtur esse cognita, nisi fortasse quoad personas Illustres, vel alias, quæ à tortura immunes sunt: & sic Reginam Sophiam, de adulterio accusatam, suo, & septem Matronarum, ac Nobilium foeminarum juramento se purgasse, ait Barbof, *inc. 3. h. tit. n. 2.*

In quibusdam tamen locis etiam in foro Civili recepta est, teste Damhoud, *prax. crim. c. 44.* & in crimine fractæ Pacis præscribitur usurpanda, per *Ordin. Cam. p. 2. art. 10. fin.* Gaill. *l. 2. de pac. public. c. 7.* Wagnereck *in c. 3. h. tit. fin.* Vallens, *hic n. 7.* Imò etiam in Jure

Civili indicia quædam illius extant *l. fin. in fin. C. de Abolit. l. eos 26. fin. C. de Usur. & Novel. 124. c. 2.* In gravibus tamen delictis, ubi de pœna vitæ, aut membrorum agitur, adhiberi purgatio in foro Civili non debet, ob periculum perjurii, cum quilibet præsumatur facturus quilibet pro redimendo suo sanguine: sed tunc reus per plenissimas probationes convinci debet *l. fin. C. de Probat. vel si tales probationes haberi nequeant, illa, quæ habentur, & semiplenæ duntaxat sunt integrari debent per confessionem propriam in tormentis factam, & in banco Juris confirmatam, prout dictum est. Libr. 2. Tit. 18. n. 11.*

Quæritur 2. quid sit Purgatio Canonica, & quid ejus fuerit olim modus? *3.* Definiri Purgatio Canonica potest, quod sit *offensio innocentie de objecto crimine, juxta prescriptum SS. Canonum facta.* Host. *Summ. hic n. 1.* Sylv. *V. Purgatio pr.* Vallens, *hic n. 1.* Pirhing, *l. 1. König n. 1.* Sannig, *n. 2.* Reiffenst. *n. 1.* Olim triplici fiebat modo.

1. Per Judicium S. Crucis: quod iterum tripliciter continebat. *1.* per Sortes, sive tesseras ad illam jaci, vel Altari, in quo Crux proponebatur, imponi, & post varias preces inde extrahi solitas. *2.* per nocturnas, & sine lapsu diu continuatas ad illam stationes. *3.* & frequentius per Juramentum, ad S. Crucem, vel per eam, aut eam contactam præstitum, Gretser. *l. 2. de cruce c. 16.* Raynaud. *de Calumn. sect. 3. c. 2. q. 2.* Wiestner *hic n. 3.* *2.* Per

2. Per Juramentum, tam ab Accusatore quam à Reo præstitum ad Sepulchra, vel Reliquias SS. Martyrum *can. habet 6. can. Memm 7. can. quanto 2. Sc. caus. 2. q. 5.* eorum præsertim, qui miraculorum editione claruerunt; horum enim præsentem virtute reorum crimina, vel innocentiam detectam, & perjuriam celeri ultione palam vindicata; SS. PP. testantur apud Baronium *ad annum Christi 412. à n. 29. & Gonzal. in c. fin. b. tit. n. 6.*

3. Per susceptionem Sacramenti Eucharistiæ, aut celebrationem Missæ in testimonium innocentia *can. sepe 23. & can. fin. q. cit.* quod nemo, sibi objecti criminis conficius; SS. Christi Corpus, & sanguinem in iudicium, & condemnationem suam præsumeretur sumpturus, præsertim si, ut aliquando fiebat; adhiberentur imprecationes repentini interitus, securi ex temeraria sumptione. Et hoc modo Gregorius VII. Simonia per calumniam insimulatus, publicè se purgavit coram Henrico III. Imp. & vicissim apud hunc institit, ut, si innocentem se crederet, etiam ipse de probris sibi objectis se purgaret SS. Sacramenti sumptione, quod tamen non obtinuit ab Imp. quippe quem deterrebant exempla aliorum, ut ex Sigeberti Chronico *anno 1070. & Baronio ad annum 1077.* refert Raynaud. *q. 3. pr. Wiestner hic n. 5. Reiffenstuel n. 3.*

4. Quæritur 3. quis sit hodie Purgationis Canonicae modus? *1.* Hodie sublati recentis Purgationum modis, quod deficeret sensum fidelium in Deum, & Sanctos fiducia, & Religio in superstitionem degeneraret, suffecta per SS. Canones Purgatio per Juramentum, quod tactis Evangelis in sui purgationem præstat is, qui de crimine per viam accusationis, vel denuntiationis insimulatus, aut de eo publicè diffamatus, vel suspectus est; quæ tamen etiam ipsa multis in locis in desuetudinem abiit, & ferè vix amplius locum habet, nisi fortè in crimine Hæresis iis in partibus, ubi viget Inquisitio. Quia tamen in Regularibus etiamnum viget, & etiam in foro Sæculari, ut *n. 3.* dictum est, quibusdam in locis recepta est, hinc non erit inutile modum ejus faciendæ explicare.

5. Modus autem istius Purgationis est, qui sequitur. *1.* qui se purgare de crimine objecto vult, jurare de innocentia sua debet super sancta DEI Evangelia, etsi sit Episcopus, si gravitas causæ exigat *c. quotiens 5. b. tit. Vallens. hic n. 2. Zoel. n. 3. Engl n. 3. Pirhing n. 15. König n. 5. Sannig n. 3. Wiestner n. 6. Reiffenstuel n. 4.*

2. Cum accusatus, vel diffamatus deposuerit Juramentum hoc pro sua innocentia, eandem innocentiam juramento pariter super Evangelia factio testantur

Compurgatores, à Reo ad hoc assumpti *c. quotiens cit. Vivian. ibid. in Ration. Vallens. n. 3. Zoel. n. 4. Sannig n. 3. Wiest. n. 6. Reiffenst. n. 5.*

3. Inter Juramentum purgandi, & 10 Compurgatorum hoc interest, quod Juramentum purgandi, ut Canonicam Purgationem faciat, debet esse Veritatis, Compurgatorum verò sufficit, si credulitatis sit. *Gloff. in c. de testibus 13. V. credant b. tit. Abb. in c. quotiens cit. n. 2. Begnudell. V. purgatio n. 3. Engl n. 3. Pirh. n. 30. Wiestner n. 13. Reiffenstuel n. 5.*

Ratio est, quia conscientiam nostram videre possumus, aliorum minimè. *August. in Joan. tr. 74. c. 75. tom. 9. & hinc si Compurgatores præstarent Juramentum Veritatis, subirent periculum ancipitis perjurii. Et hinc*

4. In Compurgatoribus, sufficit si iurent, se credere, quod purgandus verum juraverit, & proinde crimen, de quo infamatus est, non commiserit *c. quotiens cit. & DD. qui supra.*

Purgandus verò jurare debet, se innocentem esse ab imputato sibi crimine, & hoc nec per se, nec per alium commississe, adeoque quod illud nec mandaverit, nec consulerit, nec favorem, autoritatem, vel auxilium ad hoc dederit, nec suo nomine factum ratum habuerit. *Vivian. l. cit. Vallens. n. 2. Zoel. n. 3. Sannig n. 3. König n. 5.*

Quare non sufficit, si reus simpliciter juret, quod sit immunis à crimine sibi objecto; hoc enim verificaretur, si de crimine illo egisset poenitentiam, utpote per quam peccata commissa dimittuntur. *Reiffenstuel n. 4.* Potest ergo etiam illi, qui in foro conscientia à crimine absolutus est, indici Purgatio propter infamiam, quæ saepe in eo, poenitentia peracta, remanet, & Purgationis remedio tolli debet *can. Euphemium 7. §. hinc colligitur caus. 2. q. 3.*

5. Antequam purgandus se hoc modo purget, si crimen, de quo infamatus est, tale sit, ut mereatur depositionem, suspendi ab Officio debet, donec se purget legitime, *c. si quis 2. & ibi Vivian. b. tit. Vallens. n. 5.* imò ut *c. inter 10. b. tit.* statuitur, si crimen grave sit, & tertio monitus non vitaverit occasionem, quæ eum infamem reddit, suspendi etiam à Beneficio potest: & ratio est, quia opinio Ecclesiasticæ personæ in nullo debet vacillare *can. Laici 6. dist. 33.* Accedit, quia si de gravi crimine infamatus interim Ecclesiasticis Officiis, & administrationibus se immisceret, grave scandalum in populo fidelium generaretur. Dixi, Tertio monitus; hinc oritur quæstio, an moneri purgandus debeat, antequam procedatur ad suspensionem, vel Purgationem Canonicam indicendam? *1.* distinguendum esse, an Delictum, de quo purgandus infamatus est, sit

suc-

successivum, & permanens, an verò momentaneum, & transiens. Si successivum, & permanens sit, v. g. quia detinet mulierem suspectam in domo, aut versatur in loco minus honesto, præcedere necessariò admonitiones c. si quis cit. præscriptæ debent; quia potest se emendare abstinendo ab actibus suspectis. Si momentaneum, & transiens sit, e. g. quia infamatus est de homicidio, furto, aut Simonia commissa, necessarium non est, ut præcedant admonitiones; quia frustra illæ fierent, cum purgandus non possit se corrigere quoad delictum jam præteritum, & peractum: & idcirco Judex eo casu statim indicere Purgationem potest, imò etiam suspensionem ab Officio, & Beneficio, si gravitas criminis, & necessitas scandali tollendi poscat, decernere, dum se purgaverit.

13. Quaritur 4. an rectè accusato, qui criminis, de quo diffamatus est, convinci non potest, indicatur Purgatio Canonica? Ratio dubitandi est. Quia si indicitur hæc Purgatio, indicitur vel quia accusator legitimus non est; & tunc fatigandus non est accusatus, cum in Jure talis accusatio attendi non debeat: vel legitimus quidem est accusator, sed crimina objecta non probat; & tunc certum est, accusatore non probante, reum debere absolvi, quamvis iste nihil præliterit l. fin. C. de R. V. & l. negantes 9. C. de O. & A. ergo nullo casu Purgatio Canonica potest injungi Reo. 2. Si indici Purgatio Canonica possit, posset ideo, quia reus postulatus laborat infamiâ. hoc nihil probat; nam famæ, & rumoris temerè credendum non est c. super eo 5. de eo, qui cognov. consang. & hinc c. tuanos 8. de cobab. Cler. ait Pontifex, non testimoniis, quæ rumor spargit, atque circumfert, sed testibus tantum in Judicium productis esse credendum. ergo etsi infamia contra reum postulatum absit, non tamen ideo cogendus est subire Purgationem Canonica. 3. fallax valde est hoc Purgationis genus; nam Compurgatores, ut n. 10. dictum est, tantum deponunt de credulitate. atqui testi deponenti de credulitate in facto alieno fidem non adhiberi post Glossam docent omnes in l. testium 18. C. de Testib. 4. Facile colludere Compurgatores cum reo possunt, & sic probare innocentem, qui vel maximè reus est.

14. Sed nihilominus dicendum, quòd infamatus de delicto, quod plenè probari non potest, compelli queat ad purgandum se Juramento proprio, & Compurgatorum. Ita Gonz. in c. fin. b. tit. n. 2. & ibi DD. sumitur ex can. Presbyter 5. & seqq. caus. 2. q. 5. Ratio est, quia satius est purgatos esse, quàm suspectos. meritò igitur Ecclesia, quæ in suis Ministris nec criminum suspicio-

nem sustinet, statuit, ut cum aliquis laborat infamiâ criminis, quod probari non potest, se purget Juramento, ut sic immunis reddatur ab objecto crimine.

Neque obstant Rationes dubitandi 1. oppositæ. Ad 1. id, quod dicitur, reum auctore non probante, absolvendum, procedit in Civilibus; in Criminalibus, cum adest infamia, in suo foro Ecclesia vult, ut reus probet innocentiam suam, quamvis contrarium fiat in foro sæculari. Ad 2. non cuivis rumor creditur, sed debet esse suspicio fundata, ut infra dicitur. Ad 3. Compurgatores debent esse vicini, & rationem depositionis suæ reddunt, videlicet quia, cum vicini sint, si aliàs delictum fuisset commissum, non ignorarent; & idè illorum depositiones plenam probationem faciunt. Ad 4. quòd colludere possint, non est attendendum, cum nemo credatur esse immemor suæ salutis.

Quaritur 5. à quo indici Purgatio Canonica possit? R. indici potest à solo Judice competente, qui de crimine aliàs cognoscere potest, aut debet, aded, ut si à non Judice, vel à Judice incompetente indicta sit, minimè valeat, effectūque careat, perinde, ac si facta non fuisset arg. c. licet 5. de offic. Legat. c. nos inter 6. c. inter 10. & c. cum dilectis 15. fin. b. tit. Begnud. V. Purgatio n. 2. Reiffenst. hic n. 7. Zæf. n. 2. Pirhing n. 2. Sannig n. 3.

Et hinc, quamvis, ut n. 19. dicitur, Purgatio Canonica possit ab Episcopo indici etiam Laicis subditis suis Diocesanis, debet tamen crimen, ob quod indicitur, esse tale, quod spectet ad cognitionem Ecclesiæ, vel Episcopi, uti sunt crimen Hæresis, Adulterii, Simonie, & alia, quæ vel sunt fori Ecclesiastici tantum, vel mixti. Ratio est, quia Purgatio nunquam inducitur, nisi in defectum probationem, igitur si ad Episcopum non spectet cognitio delicti contra Laicum, coram eo non fieri probationes, & cons. nec Purgatio illius Delicti.

Neque obstat, quòd textus c. nos in 18. ter cit. dicat indistinctè de aliquo crimine; nam de cæteris criminibus, quæ ad cognitionem Episcopi non spectant, textus ille solum intelligendus est in ordine ad imponendam poenitentiam in foro animæ, non verò in foro Judiciali, ubi Judex non potest poenam infligere, nisi delictis spectantibus ad suum Tribunal, & forum. In iis tamen locis, ubi Jurisdictionem etiam temporalem Episcopus habet, sicut de omnibus criminibus potest cognoscere, ita de iis etiam potest purgationem indicere Laicis.

Quaritur 6. cui Purgatio Canonica indici possit? R. indicenda non est, nisi personis, quarum famæ, & exstimationis

nis integritas Christiano populo est valde necessaria, ut sunt Episcopi, & alii Prælati, Prædicatores Verbi Divini, Sacerdotes, & alii Viri aliis honesti, ac fide digni, etiam Laici arg. c. nobilis 1. b. tit. quamvis, si aliorum sint gradus, & personæ illustres, ab iis exigi non debeat Juramentum, nisi causæ gravitas istud exigat c. Nobilis cit.

20 Neque faciendum est discrimen, an Regulares sint, vel Sæculares; nam etiam Regularibus cujuscunque sint sexus, si publice diffamati fuerint de crimine, vel graviter suspecti, & testes, vel aliæ probationes deficiant, Purgatio Canonica rectè indicitur, prout constat ex c. Moniales 3. b. tit. & docet Vivian. *ibid.* in *Ration.* Pirhing *hic* n. 4. Ratio est, quia in Regularibus præcipue est integritas, & bona fama custodienda; *can. nolo* 10. *caus.* 12. q. 1. & multò majori poenâ sunt digni, si illi, quibus plurimum honoris per iustiones Principum est delatum, reperiuntur in crimine *can. Presbyteri* 5. q. 6.

21 Contrà viles, & plebeji homines, si de criminibus, quorum plena probatio haberi nequit, accusati, diffamati, aut graviter suspecti sint, ad Purgationem Canonice admitti non debent, sed quæstionibus per torturam subjiciendi sunt; tum quia non facile inveniunt Compurgatores, tum quia apud hos est periculum perjurii. *Farin. prax. crim.* q. 96. n. 64. *Engl.* n. 4. *hic* *Wiestner* *ibid.* n. 7.

22 Dubium est, an, cui Purgatio indicta est ab Episcopo, appellare ad Superiorem possit? *u.* posse, si iustam appellandi causam habeat. *Gloss. fin. in c. 6. b. tit.* *Hofst.* *ibid.* *V.* appellandum, *Abb. in fin.* *Vivian.* in *Ration.* Pirhing n. 3. & tunc appellans parebit iudicio ejus, ad cujus examen causam per appellationem transtulit. Causa autem hujusmodi esse possunt, si purgare se iustus dicat, se non esse diffamatum, si Episcopus non velit admittere testes, inter quos conversatus est Reus, sed extraneos, ignotos, vel inimicos illius, si excedat modum in purgatione, vel alio modo eundem gravet &c.

23 Quæritur 7. quando purgatio Canonica indici possit? *æ.* indici potest super quocunque crimine, vel delicto non plenè probato: imò non solum super crimine, sed etiam quandoque super macula, defectu, aut impedimento, e. g. defectu natalium, quod promotioni ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica obstat; nam antequam de tali macula diffamatus ad hos promoveatur, prius purgare Canonice sese debet, prout factum est c. accedens 14. b. tit. ubi Innocentius III. præcepit, ut à Diacono, qui ad Presbyteratum aspirabat, & ab æmulis super defectu natalium divulgabatur, Purgatio reciperetur super ista in-

R. P. Schmalzgyueber L. V. T. II.

famia. *Gloss. in c. cit. V. Purgatione*, *Hofst.* *ibid.* *V. promoveri*, *Abb. n. 1.* *Vivian.* in *Ration.* Pirhing *hic* n. 5. *Wiestner*, n. 2. *Reiffenst.* n. 15. Ratio est, quia defectus natalium, etsi non sit nota delicti, est tamen nota defectus, impediens promotionem ad Ordines, & Beneficia Ecclesiastica. Ut tamen rectè indicatur, requiruntur sequentes circumstantiæ.

1. Purgandus debet prius esse publicè diffamatus de crimine apud bonos, & graves viros c. cum dilectis 15. *V.* si verò b. tit. *Innoc. in c. 6. eod.* *Sylv.* *V. Purgatio* n. 2. *Begnud.* *V. eod.* n. 2. *Zæf.* *hic* n. 2. *Pirh.* n. 7. *Engl.* n. 2. *König* n. 3. *S.* 4. *Sannig* n. 7. *Wiestner*, n. 12. *Reiffenst.* n. 3. Et hic est casus exceptus, ut in eo admittatur Juramentum ab infamato: & hoc necessariò; quia non infamato Purgatio non indicitur. Intellige autem de infamato infamiâ facti; nam infamatus infamiâ Juris non potest se purgare per Juramentum. *Pirhing* n. 20. Addidi, apud bonos, & graves viros; nam ob infamiam solum ab æmulis, & inimicis ortam non est alicui indicenda Purgatio, uti patet ex c. cum in juventute 12. b. tit. & notat *Hofst. Summ.* n. 3. *Sylv.* n. 2. *cit.* *Vivian.* in c. 12. *cit.* in *Ration.* *Pirh.* n. 7. *Reiffenst.* n. 10. Excipe, nisi tamen ex infamia orta etiam à malevolis scandalum publicum generaretur in populo; tunc enim, si illud sedari, seu tolli per Purgationem potest, indicenda est: & ratio est, quia causâ vitandi scandali à Jure positivo receditur c. cum ex injuncto 2. de nov. oper. nunt. c. cum teneamur 6. de Preb. c. nihil 2. de præscript. *Abb. in c. qualiter* 24. de accus. n. 29.

2. Suspicionem, præsumptionem, & 25 indicia criminis debent esse verisimilia, non levia tantum, non ita gravia, ut ad torturam sufficiant, multò minus talia, quibus crimen, vel innocentia plenè probetur c. si quis 4. ibi, *verisimilibus suspicionibus*, & c. inter 10. *V. attendentes* ibi, *Vehementem suspicionem* b. tit. quibus textibus dicitur indicenda Purgatio propter vulgaram infamiam, grave scandalum, vehementem suspicionem, & verisimiles suspensiones. *Vallens.* n. 6. *Pirhing* n. 9. *König* n. 4. *Sannig* n. 7. Ratio est, quia si levis solum sit suspicio, locum habet tritum illud, *Vana voces populi non sunt audiende.* Si ad torturam sufficiant, hæc adhibenda est, non Purgatio, nisi persona sit, quæ torqueri non debeat: si planè probent crimen, reus condemnari debet sine Juramenti delatione c. cum dilectis cit. si innocentiam, etiam sine Purgatione absolvi. *qui accusare* 4. *C. de edend.* l. ador 23. *C. de Probat.* *Clar. S. fin.* q. 63. n. 4. *Pirh.* n. 21. Quod si tamen pars instet, & positus etiam levibus solum indicibus, petat indici si-

- bi Purgationem ad innocentiam suam demonstrandam, indici poterit, non juris necessitate, sed importunitate petentis, ut dicitur *c. cum in iuventute cit.*
- 26 3. Crimen non debet esse notorium *c. cum dilectis 15. b. tit. Abb. ibid. n. 4. Menoch. de arbitr. cas. 166. n. 4. Farin. prax. crim. q. 21. n. 11. Vivian. in c. cit. in Ration. Vallens. hic n. 6. Engl. n. 2. König n. 4. Sannig n. 7. Wiestner n. 10. Reiffenstuel n. 12. Begnudell. V. Purgatio n. 2.* Ratio est, quia notorium nulla potest tergiversatione celari *c. fin. de cohabit. cler. & mul. nec indiget probatione, nec accusatione can. manifesta 15. caus. 2. q. 1. c. evidentiā 9. de Accusat. cum ob solam notorietatem sine alia inquisitione Iudex procedere ad poenae impositionem possit, igitur nec Purgatione indiget; nam hæc locum habet solummodo, cum factum est dubium, & accusatores, ac testes deficiunt. Interdum tamen etiam in notoriis recipiuntur probationes ex abundantia, & ad majorem cautelam *can. pudenda 33. fin. caus. 24. q. 1. c. bonæ 23. §. licet autem de Elect. l. causam 20. pr. ff. de manumiss. cum nihil sit ita indubitatum, quod non recipiat quandam sollicitam dubitationem, ut loquitur Imperator Novell. 44. c. 1. §. 3.**
- 27 4. Indicenda non est Purgatio, quando infamatus, aut graviter suspectus convinci de crimine per idoneos accusatores, aut alias probationes potest *c. si quis 2. c. quotiens 5. c. ex tuarum 8. c. inter 10. ibi, Accusatore, & testibus deficientibus b. tit. Innoc. in c. 6. b. tit. Sylv. V. Purgatio n. 2. Decian. tr. crim. l. 5. c. 48. n. 10. Vivian. in c. si quis cit. in Ration. Vallens. hic n. 6. Pirhing n. 8. König n. 4. Sannig n. 7. Wiestner n. 11. Reiffenstuel n. 11. Begnudell. n. 4.* Ratio est, quia rebus debemus uti eo modo, quo sunt instituta *can. is autem 2. caus. 22. q. 2. sed Purgatio inducta est in subsidium aliarum Probationum, ergo &c.*
- 28 Quæritur 8. quid advertendum circa Compurgatores? 1. Compurgatores dicuntur testes eorum, qui se purgant ab infamia criminis. 1. Debent esse tolerati ab Ecclesia, non condemnati in Iudicio propter crimen, uti sumitur ex *c. constitutus 9. b. tit. & notat Vivian. ibid. in Ration. Vallens. hic n. 4. Zoes. n. 4. Pirhing n. 31. Sannig n. 4.* nam si in Iudicio condemnati sunt propter crimen, per sententiam hoc eorum crimen factum est notorium, & sic tanquam criminosi repelluntur à testimonio ferendo debent *c. testimonium 54. de testib. quin etiam si solum per modum exceptionis crimen ipsis objectum sit, & probatum, repelluntur, ut notat Pirhing n. 32. & hoc propter infamiam, quæ secuta est ex hac repulsiōe.*

2. Debent esse honestæ personæ, h. e. bonæ existimationis, & fide dignæ *c. cum P. 7. b. tit. Vivian. ibid. in Ration. Sylv. V. Purgatio n. 5. Begnud. V. eod. n. 3. Vallens. n. 4. Zoes. n. 4. Engl. n. 3. Pirhing n. 27. König n. 4. Sannig n. 4. Wiestner n. 6. Reiffenstuel n. 5.* Ratio est, quia tales esse debent, ut verisimile sit, eos nolle amore, vel odio, vel spe pecuniæ obtinendæ pejerare.

3. Debent esse personæ vicinæ illi, cujus purgatio petitur, ut habetur *c. cum dilectus 11. b. tit. & notat ibid. Gloss. V. vicinæ, Abb. in c. 14. b. tit. Sylv. l. cit. n. 2. Vallens. n. 4. Pirhing n. 29. Sannig n. 4. Wiestner n. 8. Reiffenstuel n. 3.* Ratio est, quia vicini præsumuntur melius scire, & nosse conditionem, & qualitatem, adque etiam vitam, & mores purgandi. Si tamen non possent haberi Compurgatores vicini, quia e. g. sunt exosi purgando, aut ejus inimici, possent assumi alii, qui tamen

4. Debent notam sibi habere vitam purgandi, ut DD. cit. tradunt; quia debent deponere de credulitate super vita, & moribus purgandi, hoc autem non possent rite facere, si notam sibi vitam, & mores purgandi non habeant, ergo &c. Procedit hoc non tantum de præsentibus, sed etiam de præteritis *c. inter 10. §. attendentes b. tit. nisi purgandus solum esset super crimine, quod commississe fertur moderno tempore; nam tunc notitia præsentis temporis sufficit: prout etiam sufficit, si crimen jam sit pridem commissum; quia purgandus potuit interea se emendasse.*

5. De Jure communi debent esse ejusdem Ordinis cum purgando, ita, ut si hic sit Episcopus, Compurgatores sint etiam Episcopi, si Presbyter, Presbyteri *c. inter, & V. attendentes cit. Sylv. V. Purgatio n. 5. Engl. n. 3. Pirhing n. 28. König n. 5.* Quod si tales haberi nequeant, vel qui haberi possunt, ejus, qui purgare se debet, inimici sint, admitti alii possunt etiam inferioris Ordinis Clerici *ex tuarum 8. & c. cum in iuventute 12. b. tit. & his deficientibus, etiam Laici, imò & foeminae, Gloss. fin. in c. 12. cit. Host. in Summ. n. 5. Zoes. n. 4. Wiestner n. 9. cum cit.* Quod si purgandus sit advena, seu extraneus, & quia notos non habet, Compurgatores non potest acquirere, tunc, deficiente criminis probatione, credendum est soli Juramento purgandi. *Gloss. fin. in c. cum P. 7. b. tit. Abb. in c. inter cit. n. 7. Decian. tr. crim. c. 48. n. 26. cum cit.* Sed hic jurare debet, non solum se innoxium esse, sed etiam Compurgatores habere non posse, ut cum *Abb. Zoes. l. cit. advertit Reiffenstuel hic n. 6.*

33 6. Olim secundum antiquos Canones Episcopus se purgabat, adhibitis 12. Episcopis, Sacerdos, adhibitis 5, vel 7. Sacerdotibus, Diaconus coram tribus aliis Diaconis, hodie verò compurgatores adhibendi sunt plures, vel pauciores ad arbitrium Judicis, spectata qualitate personæ, gravitate criminis, & infamix c. *Presbyter* 13. *can. omnibus* 19. *caus. 2. q. 5.* Abb. in c. *inter cit. n. 4.* Host. in *Summ. n. 4. b. tit. Sylv. V. Purgatio num. 5.* Vallens. n. 5. Zoel. n. 4. Pirhing n. 33. Sannign. 3. Sic c. *inter cit.* indicta Purgatio fuit Decano alieni, adhibitis 14. sui Ordinis, c. *cum in juvenute* 12. b. tit. cuidam Episcopo, adhibitis tantum duobus Abbatibus, & c. *cum P. 10. de accus.* cuidam Sacerdoti, adhibitis tantum tribus Sacerdotibus: ut proinde numerus Compurgatorum hodie sit arbitrarius. Sylv. l. cit. Imò ut Vallens. n. 9. cit. testatur, Compurgatores à Judice, si ita videbitur, omnino omitti possunt. Quandoque etiam, si levior sit diffamatio, Judex potest ipsius Rei simplici negatione contentus esse.

34 7. Denique Compurgatores non sunt ita strictè examinandi, sicut alii testes, vel etiam sicut Ordinandi c. *constitutus* 9. b. tit. Gloss. *ibid. in notat.* Pirhing n. 32. Ratio Disparitatis est, quia Compurgatores sunt testes voluntarii, nec possunt compelli ad compurgandum, sicut alii testes compelli possunt ad ferendum testimonium. Accedit, quia Compurgatores jurati deponunt secundum conscientiam, & opinionem suam, ideòque possunt timere, ne perjurium incurrant; alii verò testes deponunt de his, quæ sunt acta ipsis presentibus, & videntibus, vel audientibus. Abb. in c. *cum dilectus* 11. *fin. b. tit.* Pirhing l. cit.

35 Queritur 9. quis sit Effectus Purgationis Canonice? R. si rite peracta sit, tres præcipuè effectus operatur. 1. absolvendus est is, qui se purgavit, à Suspensione, si hæc propter objecti criminis, vel infamix, aut scandali, ex eo orti gravitatem ipsi ab initio inflicta fuit c. *ex tuarum* 2. c. *inter* 10. b. tit. Sylv. V. Purgatio n. 7. Begnud. V. *cod. n. 8.* Vallens. *hic n. 8.* Zoel. n. 7. Pirhing n. 34. Könign. 9. Sannig n. 6. Wiestner n. 16. Reiffenstuel n. 17. cum aliis. 2. Idem ab objecto crimine sine ulteriori mora absolvendus, declarandus innocens, & in pristinum statum restituendus est *can. habet* 6. *can. mentiam* 7. *can. omnibus* 19. *caus. 2. q. 5.* & DD. cit. 3. idem declaratur vir boni testimonii c. *ex tuarum* cit. atque ita tollitur infamia, & redintegratur honor, atque exilimatio apud homines, præsertim (in crimine successivo) si vitam bonis moribus adornet, ut omnis ab eo suspicio ex proborum, & honestorum hominum men-

tibus deleatur c. *inter cit. fin.* Farin. *prax. crim. q. 194. n. 44.* cum reliquis *suprà.*

Dubium est, an is, qui rite peracta Purgatione absolutus est, super eodem crimine possit denuo accusari? Affirmans nonnulli, nixi *can. Mentiam* cit. ubi permisum est, ut Episcopo, coram Papa Purgato, nova indiceretur Purgatio.

Sed distinctio est adhibenda: Vel enim post absolutionem, vigore Purgationis præstitæ factam, secuta est nova criminis infamia, vel non secuta est. Si *primùm*, purgatus potest iterum accusari, & alia innocentix probatione deficiente, nova ipsi indici Purgatio, ut rectè Abb. in c. 8. *h. tit. n. 5.* Zoel. *hic n. 8.* Pirhing n. 36. Wiestner n. 17. Reiffenstuel n. 19. advertunt. Ratio est, quia absolutio, post hujusmodi Purgationem secuta, facta est per probationes non integras, cum Compurgatores tantum jurarint de credulitate, atqui quando absolutio facta est per probationes non integras, nova accusatio locum habet, *per l. admonendi* 31. *ff. de jurejur.*

Si *secundum*, interest, an accusatio præcesserit, an verò non. Si *præcessit accusatio*, regulariter loquendo novæ accusationi non amplius locus est, Gloss. in *can. Mentiam* cit. Host. *hic n. 6.* Wiestner n. 17. Reiffenstuel n. 18. tum quia de ejusdem hominis delicto sæpius querendum non est l. *licet* 6. *fin. ff. nau. caupon.* Et tum etiam, quia Jusjurandum non minoris est autoritatis, quàm res judicata l. *jusjurandum* 2. *ff. de jurejur.* quæ habetur pro veritate Reg. 207. *ff.* Dixi regulariter; nam in quibusdam casibus nova Accusatio est permittenda. 1. quando accusator suam, aut suorum injuriam persequitur l. *si cui* 7. *§. iisdem* 2. *ff. de Accus.* 2. si doceret, priorem Accusationem prævaricatum l. *prævaricationis* 1. *§. nam si* 1. *ff. de Prævarication.* 3. si probaret, ad sui purgationem pejerasse l. *admonendi* cit. Goffred. in l. *fin. c. de reb. credit.* Wiestner n. 19. Reiffenstuel n. 19.

Si verò Accusatio non præcessit, sed tantum infamia, iterum distinguendum est: Vel enim terminus fuit assignatus, intra quem omnes, qui volunt accusare, hoc possunt, cum clausula, *deinceps non audientos*; & tunc casu, quo intra terminum assignatum nullus comparuit accusator, accusatio admitti non debet *arg. c. fin. huius Matr. accus. poss.* vel non fuit assignatus terminus, sed absente accusatore, non tamen per contumaciam, purgatio, & absolutio facta est; & tunc eà non obstante, admitti adhuc accusatio potest, modo accusator in se velit suscipere onus probandi, ut rectè monet Pirhing n. 36. urget enim hic ratio allata n. 36. quia ab-

solutio videlicet facta est per probationes non integras.

39. Neque obstat textus *can. Mennam* in contrarium allegatus; nam ut *ibi Glossa fin.* notat, Mennas à Papa absolutus fuit sub conditione, nisi postea appareat accusator, vel nova infamia oriatur: vel dici potest, quòd à Papa absolutus fuerit ob quandam necessitatem, ea conditione, ut se purgaret etiam apud Reginam, quòd apud hanc quoque, & priùs esset diffamatus. Turrecr. *in can. cit. §. tertia questio.*

40. Quæritur 10. quæ sit pœna deficientis in Purgatione? *12.* Deficere in Purgatione reus dicitur, cum vel jurare recusat, vel Compurgatores, qui pro ipsius innocentia jurare velint, nullos invenit. Hoc si fiat, pro convicto habetur, ut pœna etiam criminis ordinariâ à Judice Ecclesiastico puniri possit. Sumitur ex *c. cum P. 7. §. deficientem b. tit. & notat Gloss. ibid. V. privare. Sylv. V. Purgatio 7. Menoch. l. 5. præf. 41. n. 3. Farin. prax. crim. q. 86. n. 5. Vivian. in c. cit. in Ration. Vallenf. hic n. 5. Zoes. n. 9. Pirhing n. 37. König n. 8. Wiestner n. 20. Reiffenstuel n. 16.* Mitius tamen ali-

quando cum eo agitur, & pœna arbitrio Judicis temperatur, præsertim si crimen per viam Denuntiationis, vel Inquisitionis in Judicium deductum sit. Host n. 7. *fin.* Sylv. Wiestner *l. cit.* Ratio horum est, quia præsumptio verisimilis, quæ orta est ex infamia, reo in purgatione deficiente, transit in violentam, ex hac autem ad condemnationem procedi aliquando posse, dictum est *Libr. 2. Tit. 23. à n. 15.*

Dixi à *Judice Ecclesiastico*; nam pœna, quæ ab hoc infligitur, non est pœna mortis, vel mutilationis, sed Suspendio ab Officio, & Beneficio, Excommunicatio, Degradatio &c. Aliter loquendum de *Judice Sæculari*, qui gravioribus pœnis in reum animadvertit: atque hinc *Diaz præf. Canon. c. 152. n. 4.* docet, Clericum propter defectum Purgationis degradatum, & traditum Curie Sæculari, non posse à *Judice Sæculari* puniri pœnâ ordinariâ criminis, quâ Laicus convictus de illo crimine puniretur. *Rationem* dat, quia non est verè, sed interpretativè solum convictus, pro quo Jure Civili non imponitur pœna ordinariâ, sed tantum, si claris probationibus, vel propria confessione convictus sit.

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

S U M M A R I U M.

1. Definitio Purgationis Vulgaris.
2. &c. Hujus modus olim adhibitus.
6. &c. An sit licita?
9. &c. An rectè prohibeatur?
13. &c. An sententia, lata ex Purgatione Vulgari, à qua non fuit appellatum, possit retractari?

17. &c. An licitus sit ille purgandi modus, qui olim fiebat per celebrationem Missæ, & Sumptionem SS. Eucharistiæ?
19. An liceat provocare ad Judicium Divinum in sinem innocentie ostendende?

1. Quæritur 1. quid sit *Purgatio Vulgaris*, & quis olim fuerit ejus instituendæ modus? *12.* *Purgatio Vulgaris*, sic dicta, quia vulgus eam invenit, & usu induxit, definitur, quòd sit *demonstratio innocentie, vel criminis, vulgo tantum, & temere usurpata, & nullo modo approbata.* Olim pro temporum, & gentium varietate varia rituum solennitate fieri consuevit; præcipuè quatuor modi præ cæteris in usu erant.

2. 1. Per *Monomachiam*, quâ criminum falsò accusati cum adversario, sive accusatoribus congressi, quantumvis ætate, viribus, & tractandorum armorum peritiâ inferiores essent, solius innocentie præsidio victores, calumniam depulerunt, ut *Raynaud. de calumn. sect. 3. c. 2. q. 4. & alii referunt.*

2. Per *judicium ferri candentis*, Quæ Purgatio olim fiebat hoc modo: pri-

mò dicebantur Litanie; sequebantur certæ aliæ preces, & orationes: his peractis aqua benedicta dabatur ad degustandum; denique proferebatur ferrum candens, & culpato dabatur in manus, qui illud per spatium decem pedum portare debebat: & si quidem post tres noctes illa manus apparuisset, absolvebatur culpatus: sin, culpabilis reputabatur. Aliquando verò, præmissis ritibus prædictis, insimulatis criminis, vel aliàs de eo diffamatus, subibat rogam, prunas, aut vomerem ignitum, & calcabat pedibus: & similiter, si illæsus mansisset, pro innocente, si lædebat, pro convicto habitus est. *Raynaud. l. cit. q. 5. Gonzal. in c. fin. b. tit. n. 5. Engl. hic n. 6. Wiestn. n. 2.*

3. Per *Aquam ferventem*, sive bullientem: quæ sic fiebat. Post adhibitos certos exorcismos, & Orationes, accusatus,

tus, vel diffamatus de crimine in eam immittere debet brachium usque ad cubitum, & siquidem illud illatum inde extraheret, innoxius reputabatur; si verò ambulatum, delictum illud, de quo accusabatur, perpetrasset credebatur. Delrio *Disq. Magic. l. 4. q. 5. sect. 1. § 2.* Gonzal. *l. cit. n. 6.* Engl. *n. 6. bic.* Wiestner *ibid. n. 3.*

4. Per *Aquam frigidam.* Per hanc istum in modum fiebat Purgatio. Colligabantur infamato manus dextra cum pede sinistro & manus sinistra cum pede dextro, & sic colligatus projiciebatur in aquam consecratam certo ritu: & quidem si corpus mergeretur, credebatur reus innocens; si autem superferretur aquæ, quasi eum tanquam fontem respuisset aqua, censebatur convictus, cadebatque causâ, ut colligitur ex adjuratione aquæ D. Dunstani apud *tit. Gonzal. l. cit. fin.* Raynaud. *q. 96.* Engl. *n. 6.* Wiestner *n. 3.* Adhibebatur hoc genus Purgationis præcipuè, cum de Veneficio famina aliqua suspecta erat.

6. *Quæritur 2.* an licita sint ista se purgandi rationes? Fuerunt olim, qui honestas, & Christianis valde congruentes existimabant, & propugnabant; sed modo unanimi TT. & Canonistarum consensu rejiciuntur, propter claros textus SS. Canonum. Et quidem 1. per Monomachiam rejicitur aperte *can. Monomachiam 22. fin. caus. 2. q. 5. cura 1. & c. significantibus 2. h. tit.* Ratio est, quia per hanc Purgationis speciem non detegitur veritas, sed sæpe ex DEI permissione prævalent fortior, vel dexterior, ut bene advertunt Abb. *bic. n. 2.* Sylv. *V. Duellum q. 1. n. 2.* Pithing *n. 2. § 7.* König *n. 5.* Neque obstat, quod David cum Goliath sic pugnârit *1. Reg. 17.* quia id instinctu Spiritus Sancti factum est, & publica salus exigebat.

7. *Reliquæ per Judicium ferri candentis,* aquæ ferventis, aut frigidæ reprobantur *c. Mensam 7. & c. consulisti 20. caus. 2. q. 5. item c. fin. h. tit.* Ratio est, quia ferrum candens, & aqua fervens debet naturaliter lædere, sive adurere tangentes illud: item corpus, quod natum non potest, naturaliter mergitur: unde per hujusmodi purgandi modos id intenditur, ut per miraculum DEUS impediatur, ne, qui tangit ferrum ignitum, aduratur, & in aquam projectus, si reus sit, submergatur: quod est tentare DEUM.

8. Idem dicendum de aliis similibus Purgationum generibus, cujusmodi est fluxus sanguinis ex cadavere occisi, præsentem occisore. Ex hac multi hodie arguunt præsentiam occisoris: sed perperam; nam hic sanguinis fluxus incertissimum indicium præbet, cum ex causis incognitis descendat, & sæpius fessit, dum interdum sanguis non effluit, nisi verus inter-

sector adfuerit, aliquando verò effluit, accedente innocentissimo.

Quæritur 3. an enumerata Purgationis Vulgaris genera rectè prohibeantur? *Ratio dubitandi est 1.* quia in Veteri Testamento *Num. 5. v. 18.* simile genus Purgationis præceptum fuit à DEO per aquas amarissimas ad probandum, utrum mulier commiserit adulterium: quod caput insertum est Decreto Gratiani *can. 21. caus. 2. q. 1.* 2. apud Gentiles quoque hoc examen per ignem, & aquam usitatum fuisse constat ex *Sophocle in Antigono,* & narrat Varro, Vestalem Virginem, cum periclitaretur falsa suspitione de stupro, cribrum implèssè aquâ de Tiberi, & ad suos Judices, nulla ejus parte stillante, portasse. Similiter Achilles Taciuss *l. 8. de amorib. Clitoph. pag. 206.* refert, prope Ephesum fuisse fontem, in quem, cum violata pudicitia aliqua arguebatur, cogebatur descendere, juramento prius deposito, se non fuisse violatam: ferebat autem illa hoc juramentum, in tabella collo appensa descriptum secum, & siquidem innocens erat, aqua omnino immota manebat; sin minus, licet vix medias tibias unda aliàs attingebat, intumescere quamprimum cœpit, atque ad collum usque se attollens tabellam contigit. 3. DEUS in Lege nova hujusmodi Purgationem criminum sæpe per miracula confirmavit. Notum est illud S. Cunegundis Imperatricis, & exempla alia habentur passim: sic Brigita Virgo in Scotia cum lignum Altaris in testimonium Virginitatis tetigisset, viride factum fuit; Briccius Episcopus Turonensis, cum falsò accusaretur de crimine, ad satisfaciendum populo, ardentem prunas veste inclusas stringens, usque ad sepulchrum S. Martini veste illæsa tulit; & B. Hildegundis, cum furti accusaretur, ferro candente innocentiam suam ostendit. 4. confirmari videtur ex *Concil. Mogunt. can. 24.* ubi is, qui Presbyterum occidisse fertur, si servus sit, super duodecim vomeres ardentem se expurgare jubetur, prout refert *can. qui Presbyterum 24. caus. 17. q. 4.* 5. talis species Vulgaris Purgationis videtur esse tortura, quæ tamen juxta omnes licitè adhibetur.

Sed dicendum, rectè ejusmodi Purgationes ab Ecclesia fuisse reprobatas. Causa reprobandi multiplex fuit. 1. enim pugnant cum usu SS. PP. & redolent ritum Gentilitatis. 2. continent Tentationem DEI, ad cujus extraordinariam Providentiam, & miraculum per eas temere recurritur, cum tamen plura alia supersint inquirendæ veritatis, & innocentia tuendæ media. 3. hic modus Purgationis præstigiis, & magiæ dat locum, cum per eas petatur effectus, quem causæ ejusmodi neque ex natura sua, neque ex promissione

Divina habent. 4. incertissimum est hoc Judicium, cum comperum sit, occulto DEI judicio per ejusmodi purgationes multos nocentes liberatos, multos innocentes damnatos fuisse: sic refert Author Malici, famosam maleficam, provocantem ad purgationem ferri candentis, cum adjudicata fuisset ad illud ferendum per tres duntaxat passus, per sex passus gestasse indemnem, & ad ulterius gestandum se obtulisse, cum tamen certò esset nocens.

11 Ex quo sequitur, graviter peccare Judicem, qui contra personam aliquam, quasi signo hujusmodi proditam, vel ad condemnationem; aut si prodita non videatur, idcirco ad absolutionem procedit: & ratio est, quia in processu contra reum iudiciis, & probationibus uti oportet, quæ humano, & naturali modo deprehendi possunt, quales non sunt effectus illi, quorum origo superstitiosa, vel saltem nobis incognita est. Laym. l. 4. tit. 10. c. 5. n. 5. König bic. 10. & alii omnes.

12 Neque obstant Rationes dubitandi oppositæ. *Ad 1.* imprimis præceptum illud, tanquam ceremoniale, morte Christi expiravit *c. translato 3. de Conf.* deinde negatur paritas; nam hoc ipso, quòd haustus illius aquæ præscriptus à DEO fuerit, ob promissionem Divinæ assistentiæ fuit medium licitum, & infallibile detegendæ veritatis: circa usum autem Purgationum, de quibus hic agimus, nulla extat Divina institutio, aut universalis Ecclesiæ approbatio. *Ad 2.* hoc ipso, quòd examen hoc apud Gentiles usitatum fuerit, superstitionem redolet; conf. à Christianis usurpandum non est. *Ad 3.* cum DEUS miraculis Purgationem hujusmodi confirmavit, instinctu suo speciali ad usurpationem illius propulit, ut veritas eluceret, & calumnia convinceretur: vel si aliqui ex ignorantia invincibili, aut etiam crassâ à DEO postulârunt miraculosam ostensionem veritatis, DEUS in favorem innocentie petitioni ipsorum annuit; quia bona intentione illud fecerunt: unde regulariter Judicium hoc est illicitum. *Ad 4.* is erat usus antiquus Gallicanæ Ecclesiæ, sed postea per Cælestinum, Innocentium, Gregorium Pont. in præsentis Titulo relatios, prohibitum fuit: & hinc Gratianus *can. qui Presbyterum cit.* & Raymundus *c. qui Presbyterum 2. de Pœnit. & Remiss.* et si referant reliqua verba textûs, verba tamen *super duodecim vomeres se expurget* omittunt; quia eorum tempore Purgatio ista jam erat vetita. *Ad 5.* imprimis tortura potest sufferri naturaliter sine miraculo, aliter, quàm Purgatio vulgaris, quæ fit per ferrum candens &c. deinde tortura non adhibetur ad probationem criminis, sed ad elicendam veritatem, urgente dolore: & hinc quamvis tortus per

torturam laesus fuerit, vel dixerit, se esse sustinere non posse, non tamen pro convicto habebitur, nisi insuper crimen confessus fuerit, & hanc suam confessionem extra tormenta, & horum conspectum positus consumaverit. Engl bic. n. 7.

Quæritur 4. an sententia, lata ex Purgatione vulgari, & Jure reprobata, à qua non fuit appellatum, possit retractari? *Ratio dubitandi est;* quia alias regulariter sententia, à qua non fuit appellatum, elapsis decem diebus, transit in rem judicatam, nec retractatur, etsi res aliter se habeat, & instrumenta nova postea reperiantur.

Sed respondendum est affirmativè. Ita Vivian. in c. 3. de Purgat. Canon. Pishing bic. n. 6. & passim DD. Sumitur ex *c. significantibus 2. b. tit.* ubi cum quidam de furto accusati, coacti essent cum accusatore in purgationem innocentie suæ decertare duello, & in eo cecidissent, furtum verò apud alios deinde inventum fuisset, Pontifex contra sententiam datam mandavit Spoletanis, ut bona, quibus illos spoliârunt, restituerent universa.

Ratio responsionis est. 1. Quia delictum (idem dic de cæteris Purgationis Vulgaris generibus) est probatio fallax, & conf. sententia, ex eo lata, lata est ex probationibus fallacibus, atqui sententia, lata ex probationibus fallacibus, reperta contraria veritate, retractari debet *c. cum venerabilis 6. 7. intelleximus de except. & tot. tit. c. si ex fals. instrum. ergo &c.* 2. Delictum in casu *c. cit.* oblatum, indichum fuit ex consuetudine loci, adeoque sententia lata ex probatione non integra, igitur sicur sententia lata ex delatione Juramentii, parti facta per Judicem, comperta veritate, retractari potest, ita etiam ista sententia retractari debuit. 3. Sententia hæc lata fuit contra Ordinem Judicium *l. prolatam 4. c. de sent. & interl.* igitur nulla fuit: in d. injusta; quia deinde de injustitia illius constabat. Sed sententia injusta, comperd. injustitia, revocari debet; quia tunc cessat præsumptio, ex qua unice valere potest.

Ex his cadit *Ratio dubitandi* allata superius; quia solum illa sententia transire potest in rem judicatam, quæ non est lata contra Leges. Sententia autem, lata ex Purgatione vulgari, contra Leges lata est, quæ cum non teneat, in rem judicatam transire non potest. Neque opus est ad impediendum hunc effectum, ut appelletur à tali sententia *c. sententia 1. de sent. & re judic.* igitur sententia ejusmodi impellere non potest, quin possit rursus contra illum diffamatum procedi, & si desit plena probatio, ei Canonica Purgatio indici.

Quæritur 5. an licitus sit ille purgandi modus, qui olim sequenter fuit usitatus,

tus, per celebrationem Missæ, & sumptionem SS. Eucharistiæ, de quo memini Tit. præ. n. 7. Rationem dubitandi facit S. Thomas, qui apud Suar. tom. 1. l. 1. de Irregularibus, c. 3. n. 8. censet, talem Purgationem esse per se malam, & illicitam, ac proinde Concilium Wormatiense, relatum can. sepe 23. caus. 2. q. 3. dum statuit, ut si fiant furta in Monasteriis, & qui hæc committunt, ignorentur, Missa ab Abbate, vel ejus jussu ab alio celebretur, quâ finita, omnes Fratres communicent dicentes, *Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie*, errasse, & Decretum ejus per nova Jura, seu Canones revocatum fuisse. Idem dicendum esset de eo, quod dicitur can. fin. q. cit. ubi jubetur Episcopus, vel Presbyter, cui maleficium, vel crimen imputatum est, per Missæ celebrationem innocentem se ostendere.

38 Sed etsi iste purgandi modus, ut bene Pirhing hic n. 5. monet periculosus sit, cum cedere possit in irreverentiam Sacramenti Eucharistiæ, ne ab indignis sumatur, atque ideo rectè abierit in desertudinem; per se tamen licitus est; neque enim uspiam in SS. Canonibus prohibitus reperitur, aut intrinsecam aliquam malitiam continet,

sicut modi Purgationis Vulgaris n. 2. & tribus seqq. relatis. Ratio disparitatis est, quia cum iste purgandi modus non fiat ad Virtutem Divinam per miraculum demonstrandam, Tentationem DEI non continet, sed solum testimonium quoddam est, & confirmatio innocentia.

Disputant hic aliqui, an liceat provocare ad Divinum Judicium, in finem innocentia suæ ostendendæ? Ad quod ego breviter respondeo, & dico, provocationem istam, si fiat extra vindictæ cupiditatem, desperationem, vanitatem, aut aliam vitiosam affectionem, per se sine peccato fieri posse, cum nihil superstitionis habeat, neque species sit Tentationis DEI, sed signum tantum confidentis in conscientia sua animi: addo tamen, provocationem istam esse rem plenam periculi, ac propterea non facilè attentandam. Spectandum etiam, quo fine fiat; nam si fiat bono fine, quia scilicet ita provocans per notoriam injustitiam oppressus est, ut scilicet appareat ipsius innocentia, & Judex iniquus, terrore percussus, ab oppressione desinat, per se licita est. Mortaliter vero peccat, si provocet injustè; quia graviter fuggillat famam eorum, quos citat.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & Damno dato.

Crimina sæpe conjuncta sunt cum Injuria, & Damno proximi, ut aded Reus, qui de ipsis legitime convictus est, non tantum condemnandus sit ad pœnam, ob crimen commissum luendam, sed etiam

ad reparationem Injuriam, & Damni dati. Hinc merito post recensita Crimina Fori Ecclesiastici, subnectitur de Injuriis, & Damno dato.

§. I.

De Injuria.

S U M M A R I U M.

1. Diversa acceptio nominis Injuria.
2. Definitio istius.
3. &c. Quinam actioni injuriarum non sint obnoxii?
8. &c. Quando presumatur aliquid factum, vel dictum animo injuriandi?
10. &c. Quot modis Injuria inferri solet?
14. &c. Divisio Injuriam in suas species.
17. &c. Personæ, quæ injuriam inferre, aut pati possunt.
21. An pro injuria illata Novitio agere possit Prelatus?
22. Pro illata marito uxor?
23. Pro illata fratri, aut cognato, frater, vel cognatus?
24. &c. Quæ actio oriatur ex injuria, & quæ sit ejus pœna?
30. &c. Quid sit actio ad Fallnodiam, & quibus, ac quando competat?
34. &c. Quæ pœna inferatur pro Libellis famosis?
37. &c. An is, qui verum crimen alicui objecit, teneatur actione injuriarum?
41. &c. An imminis à pœna sit qui retorsione utitur, & quando?
45. &c. An de injuria conveniri possit qui alteri convitium dixit cum præfatione honoris?
48. &c. Modi, quibus actio injuriarum tollitur.

Quæ

QUæritur I. quid sit Injuria? *Injuria* nomen dupliciter posse accipi, generaliter, & specialiter. *Injuria generaliter accepta* dicitur omne id, quod non jure fit, sive deinde cum culpa fiat, sive sine culpa. *Injuria specialiter accepta* requirit culpam, saltem Juridicam: & rursus sumitur tripliciter. 1. pro damno culpâ, non jure dato; & sic comprehendit etiam damnnum contra Legem Aquilianam. 2. pro iniquitate, & injustitia; & in hoc sensu, quando Judex iniquam, vel injustam fert sententiam, dicitur injuriam facere. 3. denique pro Contumelia, quæ à *contemnendo* dicitur; quia vel contemptum fit (nemo enim nisi eum, quem contemnit, contumeliâ afficit) vel contemptum, ac dedecus ei accersit, qui injuriam patitur. Germanicè est *Schmach* / oder *Verleumdung*. In hoc tertio sensu hic accipitur, &

Definitur, quòd sit *delictum privationis, dolo malo in contumeliam alterius admissum*; vel ut alii: *Est contumelia alicui dicta, vel facta dolo malo*. Ita Host. in *Summ. b. tit. n. 1.* Sylv. *V. injuria n. 1.* Vallens. *hic S. 1. n. 2.* Pirhing *n. 1.* König *n. 2.* Sannig *c. 1. n. 1.* § 2. & communiter DD. cæteri. Ad dicitur in utraque Definitione *Dolo malo*; nam, ut committatur Injuria, requiritur dolus, & animus injuriandi; & ratio est: quia injuria in affectu facientis consistit *l. illud 2. §. sanè 1. ff. & l. si non convitiij 5. C. b. tit.* Pirhing *n. 2.* Engl *n. 1.* König *n. 9.* Reiffenstuel *n. 3.*

Et hinc Actioni injuriarum obnoxii non sunt 1. infantes, & infantie proximi, furiosi, mente capti, etsi injuriosi quid dicant, aut faciant *l. illud 2. §. sanè 1. ff. b. tit. Manz. ad §. 1. Inst. b. tit. n. 19.* Item nec dormientes, & noctambulones, si fortè in somno aliquem verberent, vel injuriosis verbis proscindant *arg. Clem. un. de Homicid. & l. coram Titio rog. ff. de V. s. & ratio est, quia isti omnes dol incapaces non sunt.*

2. Ebrius: sed tunc tantum, quando præter propòsitum tanta ebrietate fuerit oppressus, ut rationis usum amiserit, & sobrius factus pœnitentiâ ducatur *arg. can. sanè 7. caus. 15. q. 1.* Quodsi tamen perversos suos mores non ignoravit, & ab experientiâ habet, in ebrietate se consuevisse molestum, & injuriosum esse aliis, non excusatur ab injuria. König *hic n. 6.* debuisset enim abstinere à nimio potu, & cum hunc causam injuriarum fore præviderit, nec tamen vitaverit, meritò hæ ipsæ voluntariæ fuisse censentur.

3. Ludimoderator, si corrigendi, & castigandi animo quidpiam in aliqualem respectum discipuli sui protulerit, aut egerit *l. sed & ff. 5. §. fin. ff. ad Leg. Aquil. & l. item apud 15. §. ad dicitur 38. ff. b. tit.* multòque magis hoc verum est de Patre, si eodem

animo increpet, vel percutiat filium. Wiestner *n. 2.* de marito, si probroso verbo, aut etiam moderato verbere castiget uxoris socordiam, ejusque petulantiam, & oris improbitatem compescat; de Concionatore, si depravatos sæculi mores, & invalescentia hominum vitia pro concione paulò acrius, in genere tamen, nullâ personâ nominatâ, aut indicatâ, perstringat.

4. Magistratus, si necessitate officii in delinquentem severius aliquid statuerit, vel quidpiam aliud præceperit, aut ordina-verit, quod pertinet ad Juris, & Justitiæ administrationem, licet dispendium honoris, & existimationis inde cuipiam consequatur, quod enim Reip. causâ fit, licet reo probrosum sit, si modus non excedatur, injuriosum non censetur *l. injuriam 13. S. is, qui 1. §. quæ jure 6. l. quod Reipublicæ 33. ff. b. tit.*

5. Astrologi, & Physiognomici, qui consulti ex astris, lineamentis manuum, aut figura corporis respondent, aliquem esse furem e, g. qui talis non est *l. item apud 15. §. si quis Astrologus 13. ff. eod.* nam volent non fit injuria.

6. Qui contra testem in Judicio, tanquam infamem, & suspectum excipit, si exceptionem suam probet *arg. l. eum, qui 12. ff. & l. si non convitiij 5. C. eod.* quia, quod quisque facit ad defensionem juris sui, nemini debet injuriosum reputari, per *l. nullus 55. ff. de R. J.*

7. Qui per jocum, aut inconsiderantiam injuriosi aliquid dixerunt, aut fecerunt aliis *l. illud 2. §. itaque 3. ff. b. tit.* Sed quia præsumptio Juris est adversus ipsos, probare debent, quòd ex joco, vel inconsiderantia hoc fecerint, ut notat Gloss. in *l. si non convitiij tit. 7. probare potes.* Sed hinc nascitur.

Dubium, quando præsumatur aliquid dictum, vel factum animo injuriandi alios? *si*, hoc, si non aliunde, ex verbis, aut factis colligi; hæc enim si suapte naturâ injuriosa sint, animus injuriandi præsumitur *l. si non convitiij tit. Harppr. pr. Inst. b. tit. n. 7. §. 10. Manz. ad §. 1. tit. eod. n. 35. Engl hic n. 2. Pirhing n. 2. König n. 9.* Et tunc, si is, qui talia verba protulit, aut facta patravit, si dicat se joci tantum causâ dixisse, aut fecisse, probare hoc debet; quia contra eum, ut *n. præc.* dictum est, fiat Juris præsumptio, cum talis quisque præsumatur, qualis apparet, & dolo censetur factum, quoties quid naturâ suâ turpe, & Legibus, aut moribus prohibitum committitur, vel profertur. Clar. *§. injuria n. 12. Menoch. l. 5. præsumpt. 3. n. 47. Magnif. D. Chlingensperg Inst. b. tit. q. 2. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 113. Reiffenstuel hic n. 5.* Non requiruntur tamen probationes valde exactæ, sed suffi-

sufficiunt etiam conjecturæ, ex circumstantiis concurrentibus desumptæ, vel Juramentum, per quod probantur ea, quæ in animo merè consistunt. Harppr. cit. n. 10. § seqq.

9. **Contra** si dictum, aut factum, ut appareat, injuriosum non est, is, qui dicit, illud injuriandi animo dictum, aut factum esse, probare hoc debet, & si non probet, succumbet, reusque absolvetur arg. l. ei incumbit. 2. ff. & l. actor 23. C. de Probat. Farin. prax. crim. q. 150. à n. 115. § 117. Zœf. ff. b. tit. n. 4. Wiestner hic n. 3. cum cit. Probatio autem ista iterum fieri per conjecturas debet.

Quodsi verò omnibus consideratis, dubium maneat, an animus injuriandi adfuerit, vel non adfuerit, cum delicta in dubio non præsumantur, optimum erit, si tota res ex Officio Judicis tollatur, prout suadet Magnif. D. Chlingensberg l. cit. & innuunt Statuta Bavarica Land-Recht Tit. 46. art. 5.

10. **Quæritur 2.** quot modis Injuria inferri solet? 3. solet, & potest inferri tribus modis, scilicet verbo, scripto, facto. Verbo inferitur, quoties alicui sive præsentis, sive absentis convitium sit, ei defectum sive moris, sive naturæ obijciendo, v. g. appellando furem, mendacem falsarium, spurium &c. §. injuria 1. Inst. l. item apud 15. §. convitium 7. § seqq. ff. l. siquidem 10. C. de injur. Sylv. V. injuria n. 2. Clar. §. injuria n. 1. Farin. prax. crim. q. 150. n. 22. § 24. Begnudell V. injurian. 1. Englbic n. 4. Wiestner n. 4. Reiffenstuel n. 6. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 115.

11. **Scripto** inferitur, cum libellus, carmen, vel historia, ad ludibrium, contemptum, infamiam pertinens, composita editur, vel vulgatur l. lex Cornelia 5. §. si quis 9. l. item apud 15. §. generaliter 27. & §. siquis 29. ff. b. tit. Hofst. in summ. hic n. 3. Sylv. V. injuria n. 2. Harppr. in §. 1. Inst. b. tit. n. 149. cum cit. Et quidem si hujusmodi Scriptura, omisso nomine auctoris, in vulgus spargatur, Libellus famosus, dicitur l. un. C. de Libell. famos. Reiffenstuel n. 7.

12. **Facto** denique inferitur injuria, cum quis alterum pulsatur, ejus domum vi ingreditur, aut aliud quidpiam in ejus probrum, contemptum, famæ diminutionem agit l. lex Cornelia cit. l. item apud cit. §. generaliter 27. Haun. tom. 1. de J. § 7. tr. 2. n. 569. cum cit. Addunt aliqui quartum injuriæ inferendæ modum, videlicet gestu, ut ostendendo medium digitum, vel affigendo cornua in porta domus &c. Sylv. n. 2. cit. Pirhing n. 1. Sannig c. 1. n. 3. Sed hic modus facile ad tertium supradictum reduci potest.

R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

Porro injuriam his modis pati alius quis potest non solum directè & in seipso, sed etiam indirectè, & in personis, quæ ejus potestati, & aliquando affectui sunt subiectæ: sic injuria facta filio redundat in patrem, & facta uxori in maritum §. patitur 2. Inst. & l. injuria 1. §. fin. in fin. ff. de injur. Similiter injuria facta Clerico, vel Religioso dicitur redundare in Collegium, vel Conventum, ejusque Prælarum, ut proinde actio injuriarum his competat etiam nomine proprio l. Pater 41. ff. eod.

Ex his injuriandi modis diversis diversæ patent Divisiones, quibus injuria dividuntur. Nam 1. alia est injuria directè facta alicui; alia facta indirectè, ratione modi, quo fit.

2. Ratione circumstantiarum, & obiecti, in quo fit injuria, aliæ pertinent ad læsionem corporis, ut cum quis pulsatur, aut verberatur; quædam ad læsionem Dignitatis, ut cum Matronæ honestæ comes abducitur; aliæ ad infamiam, ut cum pudicitia alicujus attentatur; aliæ denique ad læsionem rerum, quæ sunt sub alicujus dominio, & potestate.

3. Ratione excessus, quo fit injuria, alia est levis, alia atrox. Atror autem censetur vel ratione facti, ut cum etiam plebejus aliquis cæditur, fustibus aut vulneratur §. atrox 9 ff. b. tit. & l. sed est 9. ff. eod. vel ratione personæ tam injuriantis, ut filij offendentis Patrem, Vasalli injuriantis Dominum Feudi l. sed si 17. §. quædam 3. ff. b. tit. quàm etiam injuriæ l. atrocem 4. C. eod. vel ratione loci, tam ubi fit injuria, veluti si fiat in templo, in loco Judicii &c. quàm partis corporis læsæ, ut si in facie fiat §. atrox cit. vel ratione temporis, veluti si fiat tempore conviviij, aut ludorum l. Prator 7. §. fin. ff. b. tit.

4. Denique ratione modi, quo fit, dividitur in Realem, & Verbalem Realis est, quæ quis factò alterius læditur. Verbalis, quæ læditur verbis vel ore prolatis; & tunc injuria dicta, seu convitium dicitur: vel scripto comprehensis, quæ injuria scripta appellatur. Hujus species est Libellus famosus, quo certum, & famosum crimen alicui obijciatur, & in publicum spargitur, prout dictum est supra n. 11. Const. crim. Carol. V. art. 110. Valleng. hic §. 1. n. 2. König ibid. n. 3.

Quæritur 3. quænam personæ injuriam inferre, aut pati possint? B. Injuriam inferre potest omnis, & solus ille, qui doli capax est l. illud 3. §. sanè 1. ff. b. tit. Non autem interest, an inferior sit, vel Superior; nam etiam Judex, & Magistratus, si Juris ordine non servato, quidpiam decreverint, vel statuerint, injuriæ illatæ reos se faciunt l. nec Magistratibus 32. ff. eod. Quin & Orator

M Ec.

Ecclesiasticus, si talia ex suggestu dixerit, quæ in unius, vel alterius hominis in particulari infamiam redundant, non vacat injuriæ arg. l. cit. quamvis eadem, ut n. 5. dictum est, permissum sit, in genere perverfos hominum mores perstringere. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 120. § 121.

18 Injuriam verò pati possunt homines cujuscunque generis, & conditionis, etiam rationis usu destituti l. illud §. sanè cit. etiam mortui l. injuria 1. §. si forte 4. ff. b. tit. quia scilicet jus ad famam, & honorem non perdunt. P. Schmier l. cit. n. 122. Nec interest, utrum quis injuriam patiat in persona propria, vel in persona sibi conjuncta; quia ratione affectus, aut conjunctionis injuria, uni facta, facta etiam censetur alteri. Host. Summ. n. 5. b. tit. Farin. prax. crim. q. 105. n. 255. Pirhing hic n. 8. König ibid. n. 7. cum reliquis passim.

19 Quare injuriarum agere potest 1. pater ob injuriam factam filio; quia illa censetur facta patri, in cujus est potestate l. injuria 1. §. item 3 ff. b. tit. 2. Dominus ob injuriam illatam servo, quando iste in illius negotio, aut servitio est occupatus §. sed si 7. Inst. & l. item apud 15. §. item si 42. ff. eod. 4. Episcopus ob injuriam illatam Ecclesie suæ, vel Clerico sibi subjecto, & Abbas, seu Prælati Regularis ob injuriam factam Monasterio, vel Monacho, aut Religioso, Sylv. V. injuria n. 8. Gomez tom. 3. var. c. 6. n. 6. Farin. prax. crim. q. 150. n. 291. Engl. hic n. 7. Pirhing n. 8. König n. 7. Wiestner n. 6. Reiffentuel n. 10. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 124.

20 Ut tamen pro injuria subdito, vel Religioso illata Domino, vel Prælati Actio injuriarum competat, debet illa aliquo modo redundare in contemptum Religionis, vel potestatis Dominice. Unde si v. g. injuria tantum indirectè pertineat ad Monasterium, vel uti si parentes Religiosi, aut Liberi in saculo relictæ offendantur, ex communiori sententia non videtur jus agendi competere Monasterio. Lauret. de Franch. Contr. int. Episc. §. regul. p. 2. var. q. 56. Engl. n. 8. Schmier l. cit.

21 Dub. 1. Utrum injuria etiam Novitio illata, & jus agendi, componendi, vel transigendi desuper ad Monasterium, vel Abbatem pertineat? Negat Lauret. de Franch. l. cit. q. 52. quia Monasterium nondum habet jus in Novitium, Melius affirmat Pasqual. in addit. ad Lauret. de Fran. b. l. cit. Engl. n. 9. hic Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 125. licet enim Monasterium non habeat jus irrevocabile in Novitium, quamdiu tamen in Novitiatu est, censetur esse subditus, & de Jurisdictione Prælati sui. Quòd apertius confirmatur ex 6. Religioso 21. de

sent. Excom. in 6. ubi injuria realis, seu percussio, in Novitium attentata punitur Excommunicatione Canonis, non alio ex capite, quam quòd reputetur cedere in contemptum Monasterii, & Religionis. igitur merito hujus Prælati conceditur actio pro eadem.

Dub. 2. an sicut ob injuriam illatam uxori agere potest maritus ita etiam uxor ob injuriam illatam marito? Videtur par esse ratio; quia si uxoris injuria censetur etiam esse mariti, vice versa etiam injuria, marito facta, censetur facta uxori. Sed respondendum est negativè. Ita habetur §. patitur 2. Inst. & l. quodsi 2. ff. b. tit. ubi ratio redditur: quia defendi uxores à viris non viros ab uxore æquum est. Farin. q. 150. n. 274. Pirhing hic n. 8. Wiestner ibid. n. 5. Excipitur, nisi injuria esset communis, & concernat etiam honorem uxoris, ut si marito obijciatur, quòd uxorem habeat meretricem, hoc enim casu uxor injuriam, sibi non minus, quam marito factam, persequi proprio nomine potest. Farin. n. 275.

Dub. 3. an etiam frater agere possit propter injuriam illatam fratri, cognatus propter injuriam illatam cognato? Affirmativam defendunt non pauci, quos refert Harppr. in §. patitur 2. Inst. b. tit. n. 22. ob rationem; quia propter affectionem istius injuria ad ipsum pertinere videtur. Conf. ex l. Lex Cornelia 5. pr. ff. b. tit. ubi cavetur, ne judicandi munere fungatur, qui Actoris cognatione, vel affinitate propinquiore conjunctus est. Sed tenenda est negativa Sententia cum Perez in Cod. b. tit. n. 12. Magnif. D. Christoph. de Chlingenberg Inst. eod. q. 9. P. Wiestner hic n. 7. & alijs passim. Ratio est. quia Jus specialiter exprimit personas, quibus ob injuriam conjuncto illatam agere permissum est, & inter has non meminit fratrum, & aliorum consanguineorum collateralium, ut ad eò videatur procedere principium generale, quòd inclusio unius sit exclusio alterius l. cum prætor 12. pr. ff. de Judic. Excipitur nisi injuria sit communis, ita, ut in totam redundet familiam. Wiestner l. cit. Ad Argumentum contrarium dico, affectionem hoc loco non sufficere; nam maxima affectio est Liberorum erga suos Parentes, & tamen si illi emancipati sint, per injuriam ipsis illatam non censetur injuriam pati, Pater, argumento ducto à sensu contrario ex §. patitur cit. ubi Pater injuriam pati dicitur per Liberos, quos in potestate habet. Ad Conf. ad hoc, ut persona conjuncta non possit esse Judex, si fficit affectio; hæc non sufficit, ut injuria unius censetur esse injuria alterius.

Queritur 4. qualis Actio oriatur ex injuria, & quæ sit ejus poena? 24. ex injuria

juris duplex oritur Actio, Civilis, & Criminalis; liberum enim est injuriato agere, quâ ex his voluerit: unâ tamen ex his Actionibus intentari, non potest recurrere ad alteram; quia utrumque Judicium ad poenam, & supplicium comparatum est, & unum, idemque delictum vindicari iterum non debet. *l. Senatus 14. ff. de Accusat. Reiffenstuel hic n. 14.* Civiliter agitur ob injuriam, quando Actor petit satisfactionem suam privatam; criminaliter, quando petit vindictam publicam.

25 In actione criminali poena arbitraria est, & de Jure Civili quidem vel corporalis, vel pecuniaria fisco applicanda; de Jure Canonico autem pro delicti gravitate subinde etiam Censura in reum fertur: sic qui per injuriam in Clericum, vel Religiosum violentas manus injecerit, est ipso facto excommunicatus *can. si quis suadente 29. caus. 17. q. 4. in eum, qui S. R. E. Cardinalem fuerit hostiliter persecutus, vel percusserit, veluti in reum læsæ Majestatis animadvertitur c. felix 5. de Pœn. in 6. qui in Episcopum hæc perpetraverit, iisdem ferè poenis coercetur. Clem. 1. eod. Clar. §. injuria n. 7. Mynsing. cent. 4. obs. 4. n. 5. Begnudell. V. injuriam n. 8. Engl. hic n. 10. Reiffenstuel n. 13. ibid.*

26 Actio Civilis ob injuriam duplex conceditur, poenalis scilicet, & rei persecutoria. Poenalis iterum duplex est, & una quidem descendit ex Jure Civili in specie sic dicto, altera ex Jure Prætorio. Ex Jure Civili in specie ita dicto nascitur Actio Civilis ex Lege Cornelia, quâ reales quædam injuriæ, veluti si aliquis pulsetur, verberetur, aut domus ejus, in qua habitat, vi introeatur, vindicantur §. sed & s. Inst. & l. Lex Cornelia 5. pr. & §. seqq. ff. h. tit. Agitur per hanc Actionem ad æstimationem injuriæ à Judice faciendam, & adjudicandam, vel ad poenam pecuniariam fisco inferendam vel ad poenam corporis afflictivam. Lauterbach ad tit. cit. §. 48. Non datur Patri, si filius injuriam passus sit *l. Lex cornelia cit. §. illud 6. & est perpetua, ut cum cit. Lauterbach rectius docent. Fach. l. 9. contr. c. 7. Hart. Pistor. p. 4. q. 20. Reinhard. Bachob. in Treutl. vol. 2. D. 30. thes. ult. Brunnem. ad l. cit. Magnif. P. Schmier de Præscript. c. 5. n. 268. Magnif. D. Verlohner de action. Injur. n. 7.*

27 Ex Jure Prætorio oritur Actio æstimatoria, quâ injuriam passus adversus injuriantem agit, ut in poenam pecuniariam à se signatam injurians condemnatur §. poena 7. Inst. h. tit. Estque hæc Actio personalis, utpote dimanans ex delicto §. in summa 10. Inst. eod. famosa; quia facit eum, qui condemnatur ex injuria, infamem *l. prætor 7. pr. ff. eod. & annalis, tanquam Prætoria, & poenalis l. si non convitij 5. C. eod. Datur R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.*

injuriato, qui passus est injuriam sive directè in semetipso, sive in persona suæ potestati subjecta §. injuria 2. Inst. l. injuria 1. §. item 3. & seq. ff. h. tit. Hæredibus verò injuriati non datur, cum meram sapiat vindictam, quàm moriens remisisse præsumitur *l. injuriarum 13. pr. & l. item apud 15. §. injuriarum 14. ff. eod. nec contra hæredes injuriantis per l. cit. & rationem, quia poenalis est.*

In hac Actione injuriam passus æstimare primum debet injuriam suam: & poenam, quòd eam æstimet 30. aureis, quorum jacturam maluisset facere, quàm probrum ferre: tunc petit à Judice, ut qui eam intulit, in tantum sibi adjudicetur, & condemnatur: sed Judex petitionem plerumque moderari debet, & ad minorem summam v. g. 10. vel 20. aureos redigit, neque istos adjudicare solet actori prius, quam is juraverit, injuriam se tanti, quanti est ejus facta à Judice moderatio, æstimare: quod si fecerit, in eos condemnatur ipsi reus c. olim 7. junct. Gloss. V. taxatione h. tit. §. poena 7. junct. Gloss. V. æstimaverit Inst. & l. constitutionibus 37. §. etiam 1. ff. eod. Clar. §. injuria n. 6. Sylv. V. eod. n. 9. Gall. l. 2. obs. 102. n. 9. Haun. tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 573. Engl. hic n. 10. Wiestner cit. eod. Reiffenstuel ibid. n. 12. Begnudell. V. injuriam n. 5. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 134. Magnif. D. Verlohner de act. injur. n. 25.

Sed standum in hoc est Curiarum praxi, in quarum aliquibus obtinuit, ut æstimatio à Judice taxata Actori sine ejusmodi Juramento adjudicetur Haun. Wiest. Reiffenst. l. cit. Idem dicendum etiam quoad Actionem injuriarum criminalem; nam ut Mynsing. cent. 4. obs. 4. n. 5. monet, hodie ex consuetudine passim recepta, & per Ordin. Camer. imp. p. 2. tit. 28. & Jus Provinciale Bavaricum Land=Recht tit. 46. art. 2. approbatâ ex injurijs verbaibus falsis non ad vindictam publicam, sed ad restitutionem honoris per Palinodiam, sive injuriosorum verborum recantationem in Judicio agitur: quæ actio propterea Actio ad palinodiam, sive Recantatoria dicitur.

Dub. 1, quid sit Actio ad palinodiam? **28** est actio personalis, Civilis, rei persecutoria, perpetua, quâ injuriam verbalem passus agit adversus injuriantem, ut dicta, seu dicteria famosa reclamet, atque injustè à se prolata judicialiter fateatur. Lauterbach h. tit. §. 47. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 137. Magnif. D. Verlohner de act. recantat. n. 1. Dicitur 1. Actio personalis; quia ex delicto, adeoque ex obligatione descendit. 2. Civilis, tum quia ad effectum Civilem tendit, nempe ad satisfactionem privatam, tum verò quia inventum est juris Civilis, non quidem scripti, sed

consuetudinarii; nam inducta est moribus, & consuetudine, quæ pars Juris Civilis est l. de quibus 32. § 1. seq. ff. de Leg. 3. Rei persecutoria; quia persequitur id, quod abesse videtur, videlicet læsam existimationem, Gaill. l. 1. obs. 65. Carpz. pract. crim. p. 2. q. 94. Lauterbach §. 47. cit. & Disp. de Act. recant. ibes. 4.

31 Causa Actionis istius est injuria verbalis, non qualiscunque, sed talis, quæ fama, & bona existimatio injuriati sit læsa; nam si non fama, & existimationis læsionem, sed corporis, duntaxat, seu sensuum vitium respiciat, adeoque ad contemptum solummodo collineat, ut si quis alterum gibbosum, claudum, cæcum &c. nominet, siue tales defectus sint veri, siue falsi, non ad Recantationem, sed ad Christianam solummodo Deprecationem, & Reconciliationem injurians compelli debet Carpzov. pract. crim. q. 97. n. ult. Non tamen refert, utrum talis verbalis injuria sit scripto, aut viva voce effusa, modo doloso injuriandi animo facta. Magnif. D. Verlohner l. cit. n. 2. Dolus autem regulariter præsumitur, si verba aut scripta per se sint injuriosa: secus, si dubia; tunc enim in partem meliorem interpretanda sunt, prout dictum est supra n. 8. § 9.

32 Datur Actio ista injuriato, & hæredibus illius (quia est rei persecutoria) adversus injuriantem, non autem adversus hæredes istius, cum nascatur ex Delicto sterili. Objectum illius est fama, seu bona existimatio, quæ vulgi opinione per verba contumeliosa læditur. Lauterbach D. de Act. recant. ibes. 28. cujus proinde reparatio ab injuriato petitur. Recantare jussus quidem non contrahit infamiam Juris, tum quia nuspam id est expressum, tum quia est mera Condicio, de qua ex l. cessat 36. ff. de A. § A. constat, quod etsi ex causa famosa confurgat, infamiam tamen secum non trahat: nihilominus tamen post se trahit quandam infamiam facti, utpote cum apud honestos, & graves viros non bene audiat, qui seipsum mendacii arguere debuit. Harppr. ad §. 10. Inst. b. tit. n. 109. § seqq. Carpz. pract. crim. q. 94. n. 65. Lauterbach ad h. tit. ff. §. 53. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 183. § seq. Magnif. D. Verlohner de Act. recant. 7.

33 Intentata semel hæc actio recantatoria non excludit aliam actionem, & poenam injuriarum, sed cumulari potest, sicut in simili Condictio furtiva ad restitutionem rei ablatæ cumulari potest cum Actione furti ad poenam quadrupli §. fin. Inst. de furt. Mynsing cent. 2. obs. 98. n. 10. Gaill. l. 1. obs. 65. n. 5. Engl. n. 11. Reiffensuel ibid. n. 16. Magnif. D. Christoph de Chlingensperg Inst. b. tit. q. 13. Ratio est, quia Actio

ad Palinodiam est rei persecutoria, actio autem injuriarum ad æstimationem est poenalis, conf. ad fines diversos tendunt, actiones autem, ad finem diversum tendentes, cumulari possunt §. ceterum 1. Inst. si quadrup. pauper.

Duh. 2. quæ poena inferatur pro Li-34 bellis famosis? hæc injuria, quia in plurimum notitiam devenit, & hominem magis, quam aliæ injuriæ verbales, diffamat, in Jure severius castigatur: & quidem, si criminaliter agatur, ejus reo inferri jubetur poena capitalis l. un. c. de famos. libell. quam tamen poenam capitalem non de ultimo supplicio, sed de poena exilii, vel deportationis intelligendum cum aliis statuit Harppr. in §. 1. Inst. n. 161. nisi crimen, per Libellum famosum alicui imputatum, esset capitale; tunc enim poenam rationis imponendam vult Conf. crim. Carol. V. art. 110. Reiffensuel hic n. 15. Si civiliter solum agatur, condemnatus jubetur esse instabilis l. Lex Cornelia §. S. si quis 9. ff. h. tit.

Neque interest, an verum crimen 45 quod etiam expediat. Reip. scire, vel falsum in Libello objectum sit, juxta Conf. crim. art. 110. cit. idque singulariter in odium, & extirpationem famolorum Libellorum, quamvis in simplicibus injuriis non scriptis circa veritatem objectam aliter res sese habeat. Engl. n. 5. Item non refert, an quis ipse talis Libelli sit author, an verò vulgationem ejus promoverit. Conf. eandem poenam incurrit etiam, qui Libellum ejusmodi famosum, ab alio compositum, scripserunt, divulgaverunt, aut inventum in publicum projecerunt, ut à quovis legeretur; talis enim utroque Jure pro Authore Delicti habetur, & ut talis est puniendus eam, qui in alterius 1. caus. §. q. 1. l. un. c. de famos. libell. Secus est de iis, qui Libellum, ab alio acceptum, descripserunt, non animo divulgandi, sed penes se privatim retinendi; tales enim impunes declarat Menoch. de arbit. cas. 263. n. 48.

Typographi quoque, qui talem Li-36 brum imprimunt, amittunt impressa Exemplaria, in suis Officinis reperta; privantur etiam potestate imprimendi Libros, & arbitrariè etiam aliàs puniuntur, ut ex variis Recessibus Imperii demonstrat Carpzov. pract. crim. q. 98. n. 11. Plura de Libellis famosis videri possunt apud Harppr. ad §. 1. à n. 149. Inst. b. tit. ubi n. 210. ex diversis Recessibus Imperii probat, poenam famolorum Libellorum hodie plerumque esse arbitrariam, ita tamen, ut consideratis circumstantiis maximè ob frequentiam hujus delicti in aliquo loco arg. l. 1. ff. de abig. vel qualitatem injuriæ (si crimen capitale objectum sit Conf. Carol. cit.) vel injuriantis, & præsertim injuriati, pce-

pcena meritò exasperetur, Harppr. ad S. 10. I. f. b. tit. n. 14. Engl. n. 5. bic.

37 Dub. 3. an is, qui verum crimen alicui objecit, teneatur Actione injuriarum? Dissentiunt DD. ex quibus aliqui generaliter defendunt negativam, inducti textu l. eum qui 18. pr. ff. b. tit. ubi J. C. ait, equum non esse, eum, qui nocentem infamavit, ob eam rem condemnari: & additur ratio, quia peccata nocentium nota esse oportet, & expedit.

38 Sed meliùs distinguitur: Vel enim Reip. interest, crimen, vel defectum detegi, vel ejus non interest. Si non interest Reip. ob veritatem convitii non excusatur injurians. Clar. §. injuria n. 17. Covar. l. 1. var. c. 11. n. 6. Mynsing. cent. 4. obs. 4. Gaill. l. 2. obs. 99. n. 1. & seqq. Fachin. l. 9. contr. c. 10. Vivian. in 5. fin. b. tit. pr. Begnud. V. injuria n. 2. Zœf. bic n. 1. Engl. n. 4. Pirhing n. 4. Wiestner n. 12. Reiffenstuel n. 17. Ratio est, quia in actione injuriarum non tam veritas convitii, quàm animus injuriandi, in quo substantialia delicti sita est, consideratur; nam sine causâ detegere aliorum delicta inhumanum est, imò injustum, cum læsus ad integritatem famæ suæ jus adhuc habeat, quamdiu crimen occultum est, nec illud detegi necessitas, aut utilitas publica postulat.

39 Si verò interest Reip. ut tale crimen, vel macula detegatur, v. g. quia est homicida, falsarius, fur, adulter, spurius &c. altera distinctio est adhibenda, an fiat in Judicio, an extra illud. Si in Judicio tale crimen, vel macula objiciatur, & probetur legitime, nulla actio ei, contra quem oppositum est, competit, cum utique à poena immunis esse debeat, qui commodo publico studet. Magnif. D. Chlingensperg inst. b. tit. q. 3. Wiestn. n. 13. cum cit. & in hoc sensu intelligenda est l. eum qui in contrarium allegata. De Jure tamen Canonico, si fructus speretur, præmittenda est admonitio secreta ex Lege Charitatis, quæ exigit, ut damna tam publica, quàm privata minimo proximi damno avertantur, Wiestner n. 14.

40 Si autem extra Judicium objiciatur, plerique ex cit. existimant, illud objicientem, si appareat, quòd potius libidine nocendi, & vindictæ privatæ, quàm boni publici studio motus hoc fecerit, à poena immunem non esse, quòd pravus revelantis animus manifestationem iniquam reddat. Wiestner n. 13.

41 Dub. 4. an immunis à poena sit, qui retorsione utitur, & postquam injuriam passus ab aliquo est, hunc vocat mendacem, aut eum pro tali habendum protestatur, donec objectum crimen probaverit? & distinguendo, an retorsionem ejusmodi faciat ad sui defensionem, an non. Si

hoc secundum, & objiciatur injuriam inferenti crimen diversum, & injuriam acceptam nihil diminuens, retorquens ab injuria non excusatur, Abb. in c. 23. de Sent. Gre jud. n. 22. Gaill. l. 2. obs. 100. n. 9. Begnudell. V. injuria n. 20. Pirhing bic n. 6. Wiestner n. 16. Reiffenstuel n. 35. & habetur etiam in Jure Bavarico Landtsrecht tit. 4. art. 6.

Si primum, retorquens impunis est. 42 Engl. n. 15. Reiffenstuel n. 33. cum cit. & communi cæterorum. Ratio est, quia vim vi repellere in continenti ipso naturæ Jure permittitur, ergo etiam injuriam retorquere; honor enim, & fama hominis præponenda est omni pecuniæ l. si in duabus 104. ff. de R. J. & gravior est ejus jactura amissione oculorum l. infamia 8. C. de Decur. imò honor, & vita pari passu procedunt, & non minore studio, & curâ, quàm vita servanda est. Gaill. l. 2. obs. 100. n. 1.

Neque obstat, quòd defensionis jus tantum detur adversus futuram, vel præsentem injuriam, non autem adversus præteritam, quæ apud Judicem, non verò apud privatum judicanda est; sicut non licet post moram longiorem repercutere eum, qui priùs percussit &c. nam responderi potest, hæc quidem ordinariè ita se habere in injuria reali, injuriam verbalem autem semel prolatam, licet quoad fontem verborum, & in sensu physico jam præterierit, in sensu tamen morali, & quoad apprehensionem hominum, & suspicionem ex ea ortam contra injuriatum durare, & semper præsentem censi, donec per Retorsionem, vel Judicium acceptum tollatur. Engl. n. 15.

Ut verò rectè fiat Retorsio, tria requiruntur, 1. ut fiat animo se defendendi: hinc si objicienti e. g. mendacium, non mendacium, sed aliud crimen à mendacio diversum, & injuriam nihil diminuens retorqueretur, quia talis retorsio ad defensionem nihil conferret, retorquens ab injuria non excusaretur, ut dictum est n. 41. 2. ut fiat in continenti, ne si ex intervallo contingat, vindictæ involvat speciem, Excipitur, nisi illata injuria esset absenti, vel si scripto, aut adhibito Notario, & testibus retorsio fieret; tunc enim exigeret intervallum temporis, quo commode fieri posset arg. sive ingenua 2. §. confestim 43. ff. ad S. C. Tertull. Wiestner n. 17. 3. ut observetur moderamen justæ, & inculpatæ tutelæ; neque enim ab injuria excusaretur, qui moderamen istud excederet, & verbalem e. g. injuriam intra privatos parietes passus, mendacium injuriantis palam, & affixâ schedâ impingeret, vel si in minori crimine injuriatus injuriantem objiceret majus: unde ex tali retorsione

sione mala daretur æquè injurianti Actio contra retorquentem, ut bene notat Abb. in c. 23. de Sent. & re jud. n. 22, quamvis retorquentem mitius puniri deceat, quòd justum animi dolorem compescere, & temperare sit difficillimum l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad Leg. Jul. de Adult.

45 Dub. 5. An de injuria conveniri valeat, qui alteri convitium dixit, v. g. eum mendacem, aut furem appellando, cura præfatione honoris, five cum protestatione, quòd sine animo injuriandi, & salvo ipsius honore, & reverentia ea verba protulerit? Ratio dubitandi est, quia protestatio conservare dicitur jus protestantis, quòd maximè locum habet in casu præfenti, cum ad injuriam secundum dicta n. 2, exigatur, ut addit injuriandi animus.

46 Sed dicendum, si verba, aut facta ex se injuriosa sint, uti est, si quis tergum alterius pulset, in faciem colaphum ipsi impingat, capillos, aut barbam evellat, protestationem nihil ipsam juvare; quia talis protestatio est contraria facto. Clar. §. injuria n. 13. Covar. l. 1. var. c. 11. n. 13. Fachin. l. 9. contr. c. 11. Gaill. l. 2. obs. 101. à n. 2. Farin. prax. crim. q. 150. n. 311. §. 313. Vallent. hic §. 1. n. 2. Pirhing n. 3. König n. 9. Sannig c. 1. n. 3. Wiestner n. 11. Et hoc verum est, five protestatio præcedat injuriam, five sequatur. Excipitur, nisi ex conjecturis apparet, injuriam non fuisse illatam animo injuriandi; tunc enim talis protestatio excusaret. Clar. l. cit. Farin. n. 314. Pirhing n. 3. imò iste etiam sine protestatione non teneretur.

47 Ad Rationem dubitandi dico, id verum esse, quando obijcitur aliquid, quod de se probrosum non est, trahi tamen in sensum contumeliosum potest; nam si is, qui ea verba protulit, protestetur, quòd in sensu bono illa protulerit, ab Actione injuriarum liberat protestatio.

48 Quæritur 5. quot modis tollatur Actio injuriarum: R. 1. tollitur satisfactione, quando injurians injuriato satisfecit pro injuria illata l. sed si 17. §. si ante 6. ff. b. tit. quæ satisfactio fieri potest aut jurejurando, si reus juret, si nihil animo injuriandi dixisse, vel fecisse l. Lex Cornelia 5. §. hac Lege 8. ff. b. tit. l. ait Prator. 3. §. quacunq. 1. ff. de Jurejur. aut pacto, vel transactione l. non solum 11. §. injuriarum 1. ff. b. tit. ibi, Si pater de injuria intercessit, & si transactionem, & si Jusjurandum, exactum erit, actio injuriarum non tenebit. Vultejus, Schneidevvin, Harppr. in §. 12. inf. de injur. Gaill. l. 2. obs. 106. Speckhan cent. 2. class. 3. q. 4. n. 27. Magnif. D. Veriohner de Act. Recant. n. 13.

49 2. Retorsione: non quidem si injuriarealis sit (etenim qui accipit unam ala-

pam, non potest reddere aliam, nisi plures adhuc timendas habeat, utpote cum aliis solam vindictam querere censeatur) sed si verbalis, prout fieret, si, qui ab altero appellatus est fur, falsarius, nequam &c. ei dicat, Tu mentiris, aut, tu ipse talis es, donec probes; nam per ejusmodi retorsionem injuriam passo censeatur satisfactum; satisfactio autem injuria tollitur, prout dictum est n. præc. Harpprecht in §. hac actio 12. inf. b. tit. à n. 9. Reiffenst. hic n. 27. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 145.

3. Remissione vel expressa, vel etiam tacita injuriæ, quæ fieri tunc censebitur, quando injuriam passus eam non statim revocat ad animum, h. e. non statim, quando potest, ostendit signa ægrè, ac graviter ferentis animi, ut si fortasse subridendo illam accipiat, aut si initio se offensum ostendit, deinde cum offendente instaurat antiquam amicitiam, ad convivium eum invitat &c. sic enim vulnus animi, quod injuria aperuerat, videtur esse obductum. §. fin. inf. & l. non solum 11. §. injuriarum 1. ff. b. tit. Clar. §. injuria n. 10. Sylv. V. eod. n. 10. Vivian. in c. fin. b. tit. in ration. Engl. hic n. 12. Pirhing n. 9. König n. 15. §. 16. Reiffenstuel n. 22. Begnudell. n. 12. Ubi tamen notandum, quòd illi, qui in aliena sunt potestate, ut filii, Religiosi &c. injuriam sibi illatam, invitis illis, in quorum sunt potestate, & quibus actio injuriarum concessa est, remittere injuriam non valeant. Contrà verò Pater, vel Prælati, injuriam illatam filio, vel Religioso, etiam hoc reclamante, condonare non prohibetur l. sed si 17. §. plane 12. ff. b. tit. Engl. n. 13. Reiffenstuel n. 23. Magnif. P. Schmier l. cit. n. 144. nisi filius sit eminentioris conditionis, quam pater.

4. Prescriptione annua; nam lapsu unius anni actio criminalis super injuria verbali extinguitur, ita, ut non amplius intentari possit, l. si non convitii 5. C. b. tit. Aliud est de Actione injuriarum Civilis; nam hæc perpetua est, & ad 30. annos durat, ut rectè advertunt Sylv. V. injuria n. 10. Clarus n. 10. Vivian. l. cit. Pirhing n. 9. König n. 17. Reiffenstuel n. 25. Wiest. n. 19. Et hinc per lapsum anni non tollitur actio ad recantationem, & Palindiam; quia non Criminalis, sed Civilis est, ut monui n. 30. Harppr. ad §. fin. inf. b. tit. n. 17. Reiffenst. n. 26. Similiter perpetua est actio injuriarum realium descendens ex Lege Cornelia, quæ datur, cum quis alium verberat, pulsat, vel domum illius vi ingreditur. Mynsing. cent. 5. obs. 7. n. 7. Engl. n. 12. König n. 17. Reiffenstuel n. 26. Imò nec omnis actio injuriarum verbalium criminalis lapsu anni extinguitur; nam actio injuriæ scriptæ, seu libelli famo-

famosi etiam criminalis perpetua est, ut teste König l. cit. inter omnes convenit. Ubi verò actio extinguitur præscriptione annua, per hoc injuriato non tollitur potestas etiam post annum agendi ad compensationem damnorum, & expensarum: quas propter injuriam alterius passus est, imò etiam si injuriatus non ageret, teneatur tamen injurias ad interesse, & damna, nisi injuriatus ea velit ipsi remittere. Sylv. n. 10. cit.

5. Morte tam injuriantis, quam injuriati ante litem contestatam; quia Actio injuriarum, utpote ex delicto descendens, & pœnalis, neque hæredi, neque in hæredem datur l. injuriarum 13. ff. h. tit. quod intellige, quando injuriatus contra hæredes injuriantis pœnam prosequi vellet; nam si prosequi velit damnum, quod per realem injuriam in corpore, vel bonis suis accepit, rectè eo nomine tam ipse, quam

ejus hæredes civiliter agere poterit ad eorum damnorum refarcitionem tam contra damnificantem, quam contra hujus hæredes, ut pro iis secundum vires hæreditatis satisfaciant: & hoc verum, etiam si lis cum defuncto non fuerit antea contestata, saltem de Jure Canonico c. fin. de sepult. c. in litteris 5. de Raptor.

6. Ut aliqui volunt, Injuriarum actio tollitur susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quòd ista suscipiens vindictam ponere videatur, & jubeatur. Sed hæc ratio levis est; etsi enim hæc Sacramenta suscipiens, ut dignè illa suscipiat, animum vindictæ privatæ ponere debeat, non tamen ponere debet animum petendi satisfactionem pro injuria sibi, vel Reip. illata, cum Jure debita sit, Abb. in c. 1. de Maledic. n. 6. Covar. l. 2. var. c. 10. n. 17. Palao tr. 6. D. 1. p. 6. n. 3. Wiestner hic n. 20.

§. II.

De Damno dato.

S U M M A R I U M.

74. &c. Damni duplex acceptio.

76. &c. Fieri potest dolo, culpa, & casu fortuito.

78. &c. Vindicatur per Civilem Actionem Legis Aquilæ: ubi discrimen inter hanc actionem, & eam, que competit ex damno lucroso.

81. &c. Actio Legis Aquilæ est partim rei persecutoria, partim pœnalis.

84. &c. Dividitur in Directam, Utilem, & in factum.

88. &c. Cui datur Actio Legis Aquilæ?

69. Contra quem?

70. An etiam contra heredes damnificantis?

71. &c. Quid per Actionem istam petatur?

74. &c. Quid requiratur, ut alicui compensetur?

76. &c. An competat etiam ex culpa levissima, quando natura Contractus ab hac culpa damnificantem absolvit?

79. &c. An, & qualis obligatio nascatur ex damno dato?

83. &c. Præsertim si datum sit per culpam merè Juridicam?

90. &c. An obligatio hæc stringat etiam in foro conscientie?

100. &c. An conveniri etiam possit ex damno sine vera, & propria culpa dato?

106. &c. Cui faciendæ sit restitutio ex Legge Aquilæ &c. & quænam causæ ab hac excusent?

54. **Q**ueritur 1. quid sit *Damnium*, & quot modis illud possit contingere? 2. *Damnium*, ita dictum à diminutione patrimonii l. *damnum* 3. ff. de *damn. infect.* dupliciter accipitur; nam aliquando damnificans ex bonis alterius lucrum facit, prout fieri solet per furtum, rapinam &c. aliquando autem fit sine lucro, cum alius in corpore, vel rebus illius contra jus læditur, corrumpendo, vel deteriorando illas. Prius *lucrosum* dicitur, posterius *non lucrosum*: & duntaxat ad Titulum præsentem spectat. Delictum istud *Aquilæ* Tribonus per suum plebiscitum vindicavit, Justinianus verò inter *Delicta* pri-

vata tertio loco retulit. Definiri potest, quòd sit *Delictum*, quo patrimonium, vel res aliena dolo, vel culpa, sine ulla damnificantis lucro, vel emolumento diminuitur, ut si quis domum alienam succendat, animalia occidat, vestes laceret &c. Hosti in *Summ. hic n. 1.* Manz. ad *Rubr. Inst. de Leg. Aquil. n. 2.* & 3. Engl. n. 23. Wiestner n. 21. Reiffenstuel n. 38. Magnif. P. Schmier p. 3. de *Delict. c. 1. n. 61.* Causa efficiens hujus damni est solus homo; nam si à Bruto datum sit, non *damnum*, sed *pauperies* appellatur. Objectum ejus sunt res tam animatæ, quam inanimatæ,

Poa

55 Potest autem damnum in destructione, vel corruptione rei alienæ fieri tripliciter, scilicet Dolo, Culpâ, & Casu fortuito. *Dolo* datur, quando fit, vel omittitur aliquid animo nocendi, sive ea intentione, ut damnum sequatur *l. hoc edito 1. §. dolum 2. ff. de Dol.* Estque hic dolus aliquando verus, aliquando præsumptus. *Verus*, seu *Apertus* tum esse dicitur, quando animus damnificandi ipsius damnificantis confessione, vel certis, & omnino indubitatis indicis declaratur. *Præsumptus* vocari solet, si colligatur ex indicis non quidem indubitatis, sed tamen verisimilibus, & multum urgentibus. Bartol. in *l. quod Nerva 32. ff. deposit. n. 14.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 293. n. 4.* Wiestner *hic n. 22.*

56 Culpâ datur, quando omittitur diligentia, quâ adhibita damnum potuisset evitari. Bartol. *l. cit. n. 7.* Wiestner *n. 23.* Hæc vel est Theologica, vel Juridica. *Theologica* est, quæ continet peccatum contra Justitiam, quod mortale est, si culpa sit gravis, veniale, si culpa sit levis. Molin. *l. cit. n. 2.* Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 184.* Wiestner *n. 24.* *Juridica* triplex est, videlicet *Lata*, *Levis*, & *Levissima Lata* committitur, quando omittitur diligentia, quam passim omnes hujus conditionis homines ad evitandum adhibere solent, v. g. si quis librum sibi commodatum extra domum deponat foris in publico. *Levis*, quando omittitur diligentia, quam adhibere solent prudentiores, & rerum suarum magis studiosi, e. g. si liber quidem intra cubiculum, sed non clausum relinquatur. *Levissima*, quando omittitur diligentia, quæ non nisi ab exactissimis, & qui extraordinario studio damna præcavent, adhibetur, v. g. si liber in cubiculo quidem clauso reponatur, sed discedens inde non exploret, an sera rite obducta sit. Molin. *l. cit. n. 4.* Haun. *n. 185.* Wiestner *n. 25.*

57 Casu fortuito damnum datur quando res perit, aut deterioratur eventu omnino inopinato, & qui nullo humano consilio, vel diligentia evitari potuit, aut prævideri juxta *c. fin. de Homicid. l. non utique 2. §. si eo tempore 7. de administr. rer. ad civit. v. g. si pereat naufragio, aut fulmine de cælo lapso absumatur.* Molin. *n. 3.* Wiestner *n. 25.*

58 Queritur 2. quâ actione vindicetur Damnum non lucrosum, dolo, vel culpâ datum? *Re. vindicatur per Civilem Actionem Legis Aquilæ*: ubi advertenda sunt notabiles differentias inter Actionem, quâ persequimur damnum lucrosum, v. g. furtum, aut rapinam, & inter actionem Legis Aquilæ pro damno non lucroso. Nam I. condemnatus de furto,

rapina, usuris perdit honorem, & fit infamis, ita, ut deinceps nequeat esse testis in Testamento, vel Judicio, nec Advocatus, nec Dignitatem aliquam, vel Ordinem Ecclesiasticum assequi, prout propriis locis dictum est. *Contra* condemnatus de damno non lucroso honorem retinet. Engl. *n. 24. h. tit. Reiffenst. ibid. n. 19.* cum aliis. *Ratio est*, quia, cum queritur augmentum proprium mediis illicitis ex alterius jactura, adest facti turpitudine, quæ abest, quando damnum sine lucro damnificantis inferitur, præsertim si hoc fiat per culpam merè Juridicam.

2. Conventus de furto, rapina &c. tenetur pro diversitate casus, an fur occultus, vel manifestus fuerit, in duplum, vel quadruplum, secundum ea, quæ dicta sunt *Tit. 17. n. 61. & Tit. 18. n. 79. 86.* Sed actione Legis Aquilæ tantum restituatur simplex æstimatio damni, & quanti interest damnificantis, damnum datum non fuisse *pr. & S. illud 10. Inst. de Leg. Aquil. Excipiuntur* tamen tres casus, qui graviori poena coercentur. 1. si quis alterius arbores clam exciderit; nam hic in duplum ejus, quanti arbor virens prudentum judicio valuit, condemnatur, deducta tamen ligni apud dominum manentis æstimatione, prout dictum est *Tit. 18. cit. n. 160.* cum enim arbores tardius succrescant, & præsertim frugiferæ multis usibus deserviant, earum destructio puniendi gravis vis est Legibus.

Excipitur 2. si damnum illatum sit dolo, sive ex proposito hominibus per vim coactis; nam talis damnum inferens civiliter convenitur in quadruplum, criminaliter verò punitur aliquando publicatione bonorum, & deportatione, banno, vel relegatione; quia æquiparantur Raptoribus, de quibus dictum *Tit. 17. cit. n. 61. & seqq.*

Excipitur 3. si quis tempore calamitoso, videlicet incendii, tumultus, ruina, aut naufragii dolo malo, & ex proposito damnum aliis dederit; nam hic intra annum in quadruplum condemnatur *l. pretor ait 1. pr. & l. quo naufragium sit 3. §. non solum 4. ff. de incend. ruin.* Engl. *hic n. 28.* Reiffenst. *n. 51.*

Addi potest *Exceptio quarta* circa ejicientes, vel effundentes in plateam publicam, qui, ut dicitur *infra*, ob damnum inde consecutum in duplum conveniuntur. Engl. *n. 29.* Reiffenstuel *n. 52.*

Queritur 3. an Actio Legis Aquilæ sit rei persecutoria, vel an sit poenalis? *Re. esse ex parte rei persecutoriam, & ex parte poenalem. Rei persecutoria est*, quatenus persequimur nostrum interesse, sive id, quod nobis abest: unde si servus hæres institutus est occisus, hæreditatis

is quoque aestimatio venit *l. inde 23. ff. ad Leg. Aquil. Penalis* verò est, quatenus persequimur id, quod nobis non abest; nam licet actio Legis Aquiliæ in simplicum regulariter duntaxat detur, aestimatio tamen damni non fit præcisè secundum id tempus, quo datum est, sed quanti plurimi res perditæ valuit retro intra annum, vel 30. dies proximos.

62. Intra annum quidem, si ex primo capite Legis Aquiliæ agatur, nim. pro occisione servi, vel animalium, quæ pecudum in numero sunt, & gregatim pasci consueverunt; intra 30. dies verò, si agatur ex tertio capite pro vulneratione servi, aut animalis pecudum numero contenti, vel pro occisione animalis pecudum numero non contenti, aut pro combustione, corruptione, aut fractione rei inanimatæ *§. hic autem 9. §. capite tertio 13. §. illud 14. Inst. de Leg. Aquil. Manz. ad pr. Inst. tit. eod. n. 1. & seqq. Magnif. D. Christoph. de Chlingenberg ibid. n. 11. Magnif. D. Verlohner de Act. Leg. Aquil. n. 1. Engl. n. 30. Reiffenstuel n. 50. cum aliis. Secundum caput Legis Aquiliæ non amplius est in usu, §. caput secundum 12. Inst. de Leg. Aquil. & l. servus 27. §. hujus 4. ff. eod. Volunt autem, hoc secundo capite olim cautum fuisse de Servitutibus, quarum usu contra consuetum modum damnus est datum.*

63. Imò ex approbata hodie à DD. quoad usum fori sententia non multum refert, an ex primo, vel tertio etiam capite Actio Legis Aquiliæ intendatur; quia, ut Brunnem. *ad l. si servus cit. n. 7. Lauterbach. ff. ad Leg. Aquil. §. 24. Stryck. Us. mod. Pand. ad tit. cit. §. 2. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 64. testatur*, hodie damnus non amplius aestimatur secundum bonitatem, quam res antecessenter habebat, sed juxta statum præsentem, in quo illa fuit tempore damni dati: adeoque qui equum claudum occidit, ex Lege Aquilia conventus, debet tantum refundere aestimationem equi, quanti iste tunc temporis vendi potuit, quamvis ante septimanam unam, vel alteram, recto pede incesserit, majorique pretio constituerit. Hinc etiam, ut idem Stryckius *l. cit.* notat, nihil interest, qualis sit res quæ per dolum, vel culpam est diminuta.

64. Quæritur 4. quotuplex sit Actio Legis Aquiliæ? *n. triplex, Directa, Utilis, & in factum. Directa* est, quæ directè provenit ex verbis, & sententia Legis Aquiliæ, quando scilicet damnus datum est corpore in corpus, uti contingit, quando quis quadrupedem manu occidit.

Utilis est, quæ oritur ex mente, & ratione Legis Aquiliæ, quando nimirum liber homo damnus est passus, aut aliàs

R. P. Schmalagrueber L. V. T. II.

damnum corpori; non autem corpore datum est, ut si jumentum per alterius exagitationem, vel territionem in præceps est actum, aut equus stabulo inclusus, subtracto pabulo, interit.

Subsidiaria in factum, quæ neque ex sententia, neque mente Legis Aquiliæ pullulat, sed ex interpretatione prudentum ob singularem æquitatem à Præatore fuit recepta, quando videlicet damnus nec corpore, nec in corpus est datum, veluti si quis canem, aut pecus inclusum solverit, ut fugam capesseret *§. fin. Inst. de Leg. Aquil.*

Hodie tamen, quia, ut *n. 63. annota. vi*, non amplius attenditur ad aestimationem damni per retrotractionem ad tempus præteritum, nihil interest, qualis instituat Actio, ut cum Stryck. *l. cit. §. 6. notat Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 97. & idipsum ferme sentit Brunnem. ad l. quæ actione 7. ff. ad Leg. Aquil. n. ult.*

Quæritur 5. cui, & contra quem datur Actio Legis Aquiliæ? *n. hæc Actio solum conceditur illi, cujus interest propter jus in re v. g. dominium, vel Usufructum, damnus non fuisse datum l. item Mela 11. §. Legis 6. & §. fin. ff. ad Leg. Aquil. Ex quo sequitur*, non dari hanc actionem ei, cujus interest propter jus ad rem, fortè quòd res corrupta, aut deteriorata ipsi fuerit locata, vel commodata *l. cit. §. eum, cui 9. Neque obstat, quòd l. hæc actio 2. ff. si quadrup. pauper. sec. commo-datario concedatur actio de pauperie; non enim propterea eidem concedenda est actio Legis Aquiliæ: & ratio disparitatis est, quia homo facilius potest damnus inferre, quàm bruta, quod, si culpam præstet levissimam, facillè avertere potest. Imò nec creditori, licet jus reale habeat in pignore, ratione istius actio Legis Aquiliæ datur, sed domino, seu debitori, si tamen iste solvendo sit; nam si solvendo non sit, permittenda est creditori, ad quantitatem debiti, quod tamen hic consequitur, debitori prodest ad diminuendam debiti quantitatem *l. qui occidit 30. §. pignori 1. ff. ad Leg. Aquil. Magnif. D. Verlohner de Act. Leg. Aquil. n. 4. & 5.**

Datur actio hæc contra damnifican-tem, sive deinde is damnus dederit per se ipsum, sive mandato ejus alius *l. liber homo 37. ff. tit. cit.* In Mandatario tamen distinguendum est: nam si mandans habuit jus imperandi, cum solo mandante agendum est; quia in iis, quæ atrocitatem facinoris non complectuntur, ignoscitur servis, & filiis, qui dominis, & Patribus suis obtemperant *l. is damnus 169. ff. de R. J.* Si verò extraneus sit, cui imperari non potuit, agi quod cum mandatario potest *l. liber homo cit.* Si plures ad indivisibile damnus concurrerunt, de Jure Romano hac actione,

N

in

in quantum poenalis est, i. e. quatenus ultra modum damni dati lis aestimatur, omnes tenentur in solidum, nec uno solvente, ceteri liberantur; quia tot sunt poenae, quot delicta, item *M. la. cit. §. sed si plures 2. & §. si plures 4.* Hodierno autem Jure, quia secundum dicta n. 63. tantum agitur ad aestimationem pro tempore damni illati, qui suum consecutus est ab uno, non habet ulteriorem actionem adversus alios. Stryck *Usu Mod. Pand. ad tit. cit. §. 21.* Magnif. D. Verlohner *l. cit. n. 15.* Magnif. P. Schmier *p. 3. de Delict. c. 1. n. 99.*

70 Utrum verò Actio hæc etiam in hæredes damnificantis detur, controversum est inter DD. Et quidem P. Engl *hic n. 31.* defendit, affirmativam saltem de Jure Canonico veram esse ob *c. fin. de Sepult. & c. litteris 5. de Raptor.* ubi ad exonerandam conscientiam defunctorum hæredes jubentur compelli, ut pro viribus hæreditatis solvant damna, quæ defunctus in vita sua aliis sciens dedit. Sed videtur distinguendum; nam si defunctus damnum dedit per dolum, aut culpam Theologicam, omnino fateor, etiam hæredes teneri damnum hoc rescire, etiam si ratione damni istius nihil ad eos pervenerit; tunc enim jure naturæ defunctus ad compensationem illius tenebatur, & pro hac obligantur omnia illius bona, quæ proinde cum onere hoc suo transeunt ad hæredes. At si damnum solummodo datum sit per culpam Juridicam, obligatio illud compensandi in hæredes non transit, contra hoc conveniri non possunt actione Legis Aquilæ, nisi lis cum defuncto sit contestata, aut hæres ex damno per defunctum dato locupletior effectus sit *l. bis autem 9. Inst. de Leg. Aquil.* Et hoc verum est non tantum ea enus, quatenus Actio ista poenalis est, sed etiam quatenus rei persecutoria; quia juxta generalem Regulam actiones rei persecutoria, ex delicto descendentes, tunc solum in hæredes transmittuntur, quando ad eos aliquid pervenit, ergo, si nihil ad eos pervenit, non transmittuntur.

71 Quaritur 6. quid per Actionem Aquilam petatur. R. 1. petitur reparatio damni, & quidem de Jure communi secundum aestimationem quanti plurimi; de Jure moderno autem secundum aestimationem in statu præsentis, juxta dicta n. 63. Si reus inficietur, damnum à se datum esse, & mendacii convictus sit, ad alterum quoque tantum, i. e. duplum conveniri potest *l. lege 2. §. Infra 1. & l. inde 25. §. hæc actio 10. ff. ad Leg. Aquil.*

72 2. Peti potest etiam damnum emergens, & lucrum cessans *c. si rixati 1. h. tit. Farin. prax. crim. q. 119. n. 110. Sayr. Clav. reg. l. 10. c. 1. n. 20. Zoel. hic n. 3. §. 11. Pirhing n. 17.* conf. repeti à damnificato possunt expensæ, quas facere de-

buit in curationem vulneris, & aestimatio operarum, quibus privatur ob læsionem, Vivian *in c. 1. cit. Gonzal. ibid. n. 3. Valens. §. 2. n. 2. Zoel. n. 11. Sannig c. 2. n. 2.* Ratio est, quia omnium horum damnorum, & lucrorum cessantium damnificans causa est. Nil tamen restituendum est ratione deformitatis relictae in corpore ex vulnere accepto; quia liberum corpus aestimationem non recipit *l. ex hac lege 3. ff. si quadrup. pauper. sec.* Excipitur, si per cicatricem inducta deformitas Virginem à nuptiis cum divite averteret; tunc enim damni compensatio est præstanda. Magnif. D. Verlohner *de Ad. Leg. Aquil. n. 18.* Similiter de Jure communi non aestimatur dolor, ex vulnere, vel percussione contingens *l. arg. ex hac lege cit. Besold. Thef. pract. V. Abtrag* nisi contraria praxis alicubi vigeat; hæc enim non iniquam esse, defendit Stryck, *Us. mod. Pand. b. tit. §. 10.* eaque fundamentum habet in *Carolina. crim. art. 20.* ubi aestimatur dolor torturæ.

3. Inter damna, quæ repeti possunt, enumerantur etiam expensæ litis, & si quæ alix ob læsionem in justam factæ sunt: possuntque hujusmodi expensæ repeti, etiam si læsus per Statutum juramentum præstiterit de non repetendis damnis acceptis *c. in nostra 8. b. tit.* & ratio est, quia juramentum non extenditur ad ea, de quibus non fuit actum, nec cogitatum *c. Quinta-vallis 23. de Jurejur.* & quoniam in Statutis debet fieri stricta interpretatio, ita, ut verba capiantur in propria, & stricta interpretatione *l. ait prator. 3. §. hæc verba 6. ff. de negot. gest.* atque in propria, & stricta significatione damnorum non veniunt expensæ *c. in nostra cit.* quia damnum in stricta interpretatione est diminutio proprii patrimonii, seu bonorum ad aliquem spectantium per alium facta; expensæ verò sunt propria voluntate illas facientis, etsi forte coacta, uti advertunt Abb. *in c. cit. n. 3. Valens. §. 2. n. 2. Pirhing n. 20.* igitur juramentum præstitum super articulo damnorum non debet intelligi, ut comprehendat expensæ; accipiendum enim est strictè, ut minimum noceat. Atqui hinc vulgaris est Practicorum formula, ut petant sigillatim damna, expensæ, & interesse.

74 Quaritur 7. quid requiratur, ut competat damnificato actio ex Lege Aquilæ? R. 1. requiritur, ut res alterius deterioretur, aut omnino destruat; nam hoc significat damnum, de quo hoc loco sermo est, prout constat ex dictis n. 54. Hinc si damnum acciderit in re salva, & integra, fortè quia aliquis vinum nostrum ebibit, uvas maturas decerpit, vestimentum alienum induit, Actio Legis Aquilæ non confurgit *l. si servus 27. §. si ob-*

vam 25. & l. qui occidit 30. §. si quis 2. ff. ad Leg. Aquil. quia res non corrupta, vel diminuta, sed ad usum naturalem adhibita est. Contrà oritur Delictum & Actio Legis Aquiliæ, si quis vinum nostrum effuderit, uvas immaturas decerpserit, vestimentum laceraverit, vel conspurcaverit l. si servus cit. §. cum eo 15. & §. si olivam cit. quia res ad usum alium, quàm sibi connaturalem, destinata videtur. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 70. §. 71.

2. Requiritur, ut res corrupta, vel 75 deteriorata sit dolò, vel culpà. Dolus enim determinatè non requiritur, sed culpa sufficit, etiam levissima l. in lege 44. pr. ff. ad Leg. Aquil. Et hinc qui per negligentiam, incuriam, aut imperitiam qualemcunque læsit alterum, hujus delicti reus est c. fin. b. tit. sed etsi 5. §. injuriam 1. §. §. fin. l. idem juris 8. pr. §. mulonem 1. l. si putator 31. ff. eod. Neque opus est, ut sit culpa commissionis, sed etiam sufficit culpa omissionis, ut contra Zoel. ff. ad Leg. Aquil. n. 7. meliùs docent Molin. tr. 2. de J. §. J. D. 698. Struv. syntagm. Jur. Civil. exercit. 14. thes. 20. Magnif. D. Verloohner de Act. Leg. Aquil. n. 13. Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 66. Et nunc ex Lege Aquilia tenetur Medicus, qui medicinam ab initio præscripsit, & curationem postea dereliquit l. idem §. juris 8. cit. pr. item famulus, qui ad ignem obdormivit, & per hoc incendio cauiam dedit l. si servus cit. §. si fornicarius 9.

Dubium est, utrum Actione Legis 76 Aquiliæ conveniri possit ille, qui culpà levissimà damnum dedit, quem natura contractus à præstatione culpæ levissimæ eximit e. g. si conductor in re locata, vel depositarius in re deposita damnum dedit per culpam levissimam, ad quam præstandam ex natura Contractus non obstringitur? Affirmant nonnulli etiam graves DD. & nituntur l. sed etsi 5. §. fin. ff. ad Leg. Aquil. ubi Magister Discipulum elusit ponitur, & JCtus dubitat, an locati actio moveri possit, non verò dubitat de actione Legis Aquiliæ, igitur poterit dari actio Legis Aquiliæ, quin detur actio locati, conf. si conductor, & extraneus culpà levissimà damnum darent, sequeretur, posteriorem obstringi, non priorem: quod videtur absurdum, cum prior magis peccet, quàm posterior.

77 Sed tenenda videtur sententia negativa, quam etiam defendunt Covar. p. 2. de matr. c. 6. §. 8. n. 14. Molin. tr. 2. de J. §. J. D. 687. Struv. synt. Jur. Civil. exercit. 14. thes. 20. Eckolt ff. ad Leg. Aquil. §. 1. Lauterbach ad tit. cit. §. 9. Stryck. Us. mod. Pand. ibid. §. 14. Gleile jurispr. terrib. p. 2. c. 4. §. 3. n. 23. Magnific. D. Verloohner de Act. Leg. Aquil. n. 10. Magnif. P. R. P. Schmalzgrueber L. V. T. II.

Schmier p. 3. de delict. c. 1. n. 67. §. seqq. Engl. hic n. ult. Ratio est, quia tali casu culpam levissimam remittunt Leges, ita, ut eam committens avertere ipsam non debuerit; aliàs in vanum disputaremus, qualis culpa præstetur in singulis contractibus, si deficiente actione ex contractu, ad Actionem Legis Aquiliæ convolare liceret.

Neque obstat l. sed etsi in contrari 78 um allegata; nam ibi JCtus dubitavit, an oriatur Actio Locati, non ob gradum culpæ, sed ob defectum subjecti, quòd damnum in corpore libero datum directè pecuniarium dici, & idè in actionem locati deduci nequeat. Coeterum etiam actionem locati hoc casu dari, idem JCtus dedit alibi, nempe l. item queritur 13. §. item Julianus 4. ff. locat. ubi similem casum refert. Ad Conf. non apparet, quomodo magis delinquat conductor, quàm extraneus, cum illi culpam levissimam remittant Leges, non verò isti.

Queritur 8. an, & qualis obligatio 79 nascatur ex damno ad illud compensandum? Certum est 1. restitutione damni dati immunes esse, in quos dolus, vel culpa ob defectum rationis cadere non potest, ut sunt furiosi, amentes, infantes l. sed etsi 5. §. ideo 2. ff. ad Leg. Aquil. Engl. hic n. 32.

Certum est 2. neminem obligari ad compensandum damnum, casu merè fortuito datum, nisi ita conventum fuerit c. un. de commodat. & l. obligationes 1. §. §. ille 4. ff. de O. §. A. ut proinde res, quæ tali casu fortuito perit, domino suo pereat l. Pignus 9. C. de Pignor. Ratio est, quia Jus naturale dicitur, quòd poena sit infligenda propter culpam, nullusque sine culpa puniri debeat. atqui, ubi damnum casu merè fortuito datur, non adest culpa, ergo &c. Ob eandem rationem etiam

80 Certum est 3. per se neminem obligari ad refusionem damni, quando priùs omnis diligentia in eo præcavendo adhibita est, ut si quis ex arbore, vel tecto ligna projiciens proclamavit, & transeuntes monuit, monito autem insuper habito, alius temere præterit, & obtritus est; item si in loco, ubi aliàs consuetum est jaculorum, & sclopetorum exercitium, jaculando se exercens, ibi incautè ambulans, quem non prævidit, vulneravit §. ac ne is 3. §. §. seq. Inst. de Leg. Aquil. Engl. n. 32. Reiffenstuel n. 45.

Idem dicendum in omni casu, in quo ex actione alterius, absque hujus culpa omni etiam levissima, sequitur, quia tale damnum tum censetur casu merè fortuito evenisse. Potest tamen aliquis aliquando obligari etiam in conscientia ad refarciendum damnum casu fortuito, & sine omni culpa datum, si scilicet de compensatione in hoc casu facienda conventum

rum est, vel is, apud quem damnum contingit, fuit in culpabili mora rem domino suo restituendi *c. un. de Commod. l. ea quidem 1. C. eod. Reg. mora 25. in 6.*

81 *Certum est 4.* non esse obligationem compensandi damnum, quod in bello iusto, vel necessariae defensionis causâ adversario inferitur, dummodo iustæ defensionis, & moderaminis inculpatae tutelæ termini non excedantur; quia tale damnum non injuriâ, sed jure datum est, cum vim vi repellere omnia jura permittant. *Reiffenstuel n. 46.* Ad necessariam defensionem etiam refertur, si quis incendii ardens causâ, ne ignis ad se perveniat, vicini ædes incensas demoliat, & destruat; nam si morale periculum fuit, propterea Actione Legis Aquilæ pulsari non potest *l. si quis 49. §. quod dicitur 1. ff. ad Leg. Aquil.* Aliud est, si prudentum judicio periculum morale non fuit; nam tunc ad refusionem æstimationis adstringitur *l. si alius 7. §. est §. alia 4. ff. quod vi, aut clam.* Imò Bartol. *in l. 1. ff. ad Leg. Rhod. de jact.* Duar. *ibid. c. 2.* Gaill. *l. 2. obs. 22. n. 4. §. 5.* Bachov. *in Treutl. vol. 1. D. 18. tbes. 8. lit. B.* Struvius *Synt. Jur. Civil. exercit. 20. tbes. 20.* advertunt; casu, quo aliquorum ædes tempore incendii, ne ignis latius serpat, fuerunt diruta, id damnum à tota vicinia, quæ per destructionem talium ædium ab incendio præservata est, compensandum, sicut in simili in Lege Rhodia de jactu constitutum est, ut si in periculo naufragii levandæ navis causâ quorundam res, aut merces in mare projiciuntur, omnium navigantium contributione refarciantur, quod pro salute omnium ejectionem est; argumentum autem à simili, quando subest eadem æquitatis ratio, in Jure plurimum valere probat *l. non possunt 12. & l. seq. ff. de LL.* Gaill. *l. cit.* Englib. *n. 33.* Begnud. *V. damnum n. 13.* Margif. D. Christoph. de Chlingensperg *Inst. de Leg. Aquil. q. 4.*

82 *Certum est 5.* per se loquendo in foro tam interno, quam externo dari obligationem reparandi damnum, quod dolò, vel culpâ latâ Juridicâ datum est: Innoc. *in c. sicut 6. de homicid.* Sylv. *V. culpa n. 5. §. 6.* Molin. *tr. 2. de J. §. J. D. 293. n. 7. fin.* Palao *tr. 32. D. 3. p. 1. n. 7.* Haun. *tom. 1. de Just. tr. 2. n. 186.* Wiestner *hic n. 28.* Et quidem quoad damnum dolò datum per se constat; quia talis est culpa Theologica contra Justitiam commutativam. De damno autem data per culpam latam Juridicam ratio est; quia etiam ista per se continet culpam Theologicam gravem: & ratio est, quia in re gravis momenti e. g. ubi periculum est incendii, vel homicidii, diligentia ad hæc evitanda communis, & quam homines communiter in similibus circumstantiis adhibere solent, & omitti non potest

sine peccato lethali contra Justitiam. Dixi *per se loquendo*; quia etiam culpa lata Juridica, imò & dolus, cum is est merè præsumptus, quod culpam Juridicam latiorum aliqui vocant, aliquando per ignorantiam, vel in advertentiam, adeoque sine culpa Theologica committi potest: & tunc de hac, sicut de culpa Juridica levi, & levissima quæri potest, an, & qualem obligationem inducat; in qua quæstione punctum totius controverfiæ tandem consistit. Quare

Dub. 1. utrum detur obligatio reparandi damnum, per culpam merè Juridicam datum? *83* in foro externo reparacionem ejus imponi. Patet ex textibus utriusque Juris; sic enim ex constitutione *Juris Civilis* ad damni reparacionem tenetur 1. qui jaculando, vel bombardam explodendo alienum servum, vel animal trajecit in loco, ubi ei jaculari non licebat *§. itaque 4. Inst. ad Leg. Aquil.* 2. Medicus, vel Chirurgus, qui agrum, cujus curam suscepit, deseruit, aut imperitè secuit, si is moriatur *§. præterea 6. & §. imperitia 7. Inst. eod.* 3. putator, qui ex arbore dejecto ramo transeuntem occidit, si prope viam publicam hoc fecit, nec proclamavit, ut casus evitari posset *§. item putator 5.* 4. Mulio, si impetu mularum, quas ipse propter imperitiam, vel etiam infirmitatem, cum alius firmior eas retinere potuisset, servus tuus oppressus fuerit *§. impetu 8.* ubi id extenditur etiam ad eum, qui cum equo veheretur, impetum ejus propter infirmitatem, aut imperitiam retinere non potuit. Plura exempla passim afferuntur *Inst. §. ff. tit. cit.*

Jure Canonico 1. pretium animalis, in cisternam lapsi, reddere obligatur, qui hanc effodit & non cooperuit *c. si quis 2. b. tit.* 2. damnum à bove corruptæ, vel alio jumento, animalibus, agro, vineæ illatum, refarcire debet dominus ejusdem, qui illam non custodivit, aut hoc dimisit, cum scire potuerit, & deberit periculum esse, ne depalceret aliena *c. si bos 3. & c. si leferit 4. tit. eod.* 3. compensare debet alienas segetes, qui excitavit ignem, quo dein illæ absumptæ sunt *c. si egressus 5.* 4. & universim quicumque culpâ, imperitiâ, negligentia, ignorantia damnum dedit, id reparare tenetur *c. fin.*

Ratio sic statuendi fuit, quia *SS. Ca. 85* nonum, Legumque conditores voluerunt, potiore esse causam ejus, qui damnum absque sua culpa, & factò passus est, quam alterius, qui id factò, aut culpa quacunque intulit alteri, cui proinde, ne illius factum, & culpa esset nociva, ab ipso illatum damnum refarciri voluerunt. Et quidem hæc obligatio

Extenditur 1. etiam ad eum, qui *86* est damnum ipse non dedit, tamen ut hoc

hoc daretur, mandavit; quod enim quis per alium facit, perinde est, ac si per se ipsum fecisset *Reg. qui facit 72. in 6.* Aliud est, si non mandavit, sed consilium duntaxat dedit; quia ex consilio, nisi malitiosum hoc sit, aut ab alio datum, qui attentata personæ, aut muneris qualitate peritiam, artem, vel scientiam proficitur in re, circa quam dat consilium, nemo regulariter obligatur, cum alteri liberum sit consilio uti, vel non *Reg. nullus 62. in 6.*

87 *Extenditur 2.* ad eum, qui opem vel auxilium, ut damnum tale daretur, tulit, ut qui jaculanti, ubi non oportebat, suppositum humerum, si ea explosione laedatur, vel occidatur alterius servus, vel animal *c. fin. b. tit. & ibi Gloss. V. tulisti. Valens. hic §. 2. n. 1. Zoel. n. 2. Engln. 37. Pirh. n. 11. Sannig c. 2. n. 1.* Ratio est, quia quæ alterius auxilio sunt, ab ipso facta censentur. Aliud est, si quis damnum ab alio in sui gratiam datum ex post facto ratum habuit: nam hic non tenetur id compensare; quia ratihabitio subsequens non est causa damni, quod ponitur jam perfectum esse. & licet aliquando retrahatur, & æquiparetur mandato, tamen hoc solum fit in Contractibus, & aliis causis nondum perfectis, & quæ ad sui perfectionem alicujus consensus, & ratihabitionem desiderant, *Engl. hic n. 39.*

88 *Extenditur 3.* ad eum, qui causam dedit propinquam damni, ut si quis stipulam in agro suo incendit, & ignis egressus combussit acervos frugum alterius, vel segetes stantes in agris alienis; quia qui dat causam damni, damnum dedisse censetur *c. fin. b. tit. & l. videamus 11. ff. locat. & qui non prævidet, quod prævidere potuit, ac debuit, est in culpa l. qui occidit 30. §. in hac 3. ff. ad Leg. Aquil. poterat autem talem causam dans prævidere periculum, si majorem diligentiam adhibuisset, ergo &c.*

89 *Extenditur 4.* etiam, cum per servum alicujus, vel animal est damnum alteri factum; nam si in culpa dominus fuit, quod animal naturam ferocem, e. g. ursum, leonem &c. in publico tenuit, nec bene custodivit, ne læderet: vel si animal, naturam quidem non ferocem, e. g. bos, qui solitus sit cornibus impetere, damnum intulerit, dominus animalis, siquidem per tale animal liber homo vulneratus, vel occisus fuerit, arbitrio Judicis in ducentos solidos condemnabitur, si vero in alijs rebus, ut laceratione vestis, vel fractione ejus, quod portatur, damnum contigerit, in duplum condemnatio fiet *6. fin. Inst. si quadrup. paup.* Aliud est, quando culpa domini nulla intervenit; tunc enim oritur Actio de Pauperie, de qua *infra n. 103.*

90 *Dub. 2.* utrum obligatio resarciendi damnum, ex culpa merè Juridica da-

tum, contrahatur etiam in foro interno, & conscientia? *Affirmant Covar. p. 2. de Spons. c. 6. §. 8. n. 15. Zoel. ff. ad Leg. Aquil. n. 6. Arnold. Rath. tr. de Damno n. 34. & plures alij, cum quibus etiam sentire videtur Barb. in c. fin. b. tit. n. 2.* Fundantur 1. quia Leges istæ, quæ reparationem damni per culpam merè Juridicam dari decernunt, sunt justæ, communiter receptæ, & approbatæ, non nimis rigidæ, & intolerabiles, sed fini, & bono communi proportionatæ, sed tales Leges obligant in conscientia. ergo & istæ obligant. 2. potuit Legislator humanus ad ejusmodi damni refusionem obligare damnificantem in conscientia, ut apud omnes est indubitatum; quia ipsi competit potestas disponendi de subditorum suorum rebus in bonum totius Reip. & quod ita obligare voluerit, conijcitur ex eo, quod Legis Aquiliæ textibus damnum culpam datum reparandum statuatur absolute, non distinguendo inter culpam Theologicam, & Juridicam, ac proin locus videtur esse *arg. l. de pretio 8. ff. de Public. in rem act. 3.* eandem obligationem asserere videtur Jus Canonicum; nam *c. fin. b. tit. Gregorius IX.* asserit, eum non excusari (utique in foro conscientia de quo etiam agit Jus Canonicum) cujus imperitia, aut negligentia damnum illatum est, sed tantum illum, qui ne occideret, nihil de contingentibus omisit, ergo etiam ex culpa merè Juridica nascitur in conscientia obligatio compensandi damnum. *Conf. ex can. consuluisti 20. caus. 2. q. 5. ubi Stephanus V. ita scribit: Monendi sunt, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet interveniente suffocentur, vel opprimantur, unde ipsi homicidij rei inventiantur. multo magis igitur quævis negligentia reos faciet alterius minoris injuriæ, & inducet obligationem restitutionis, & reparationis damni illati.*

Sed, etsi sententia ista sit valde probabilis, in praxi tamen prior, & in Jure etiam probabilior videtur esse sententia negativa, quam etiam defendunt Innoc. in c. 6. de homicid. Sylv. V. Culpa à n. 5. Molin. tr. 2. de J. & J. D. 698. n. 6. Less. l. 2. de Jus. c. 7. n. 24. Tann. tom. 3. D. 4. q. 6. dub. 2. n. 40. Laym. l. 3. tr. 3. p. 1. c. 6. n. 2. Lugo D. 7. de Jus. sect. 3. §. 4. Haun. tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 178. Pirhing hic n. 11. König n. 27. Wiestner n. 33. Reiffenstuel n. 43. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg Inst. ad Leg. Aquil. q. 9. Magnif. P. Schmier p. 3. de delict. c. 1. n. 77. estque communior TT. præsertim RR.

Ratio est 1. quia damnum, ex culpa merè Juridica datum, datum est absque omni advertentia, & cons. omnino involuntarium est, habetque se respectu nostri

instar casus fortuiti, sed damnum involuntarium penitus, & fortuitò datum reparandi obligatio in conscientia, absque speciali contractu, nulla datur. prout dictum est. *n. 79.* ergo nec datur obligatio in conscientia reparandi damnum culpâ Juridicâ datum: quod magis etiam urget casu, quo commissa est tantum culpa Juridica levis, & levissima; nam secluso speciali pacto, nemo tenetur majori diligentia cavere damnâ alterius, quam soleant ordinariè homines ejusdem conditionis in simili materia, cum nemo debeat esse prudentior, aut circumspectior in negotijs, quam alij homines similis conditionis, igitur damnum, quod ex omissione hujus majoris diligentie evenit, ad culpam, & compensationem per se imputari non debet, sed sufficit adhiberi diligentiam communem, ad quam, seclusâ ignorantia, & inadvertentia quis tenetur.

2. Obligatio resarciendi damnum ita datum ante omnem Judicis sententiam, si spectetur fragilitas humana, quæ sæpe ex inconsiderantia, & inadvertentia in hujusmodi damna faciendâ prolabitur, est nimis gravis, & ignota fidelibus; nam horum communis sensus, & persuasio est, se in conscientia tutos esse, & ab obligatione restituendi immunes, quando damnum ipsis innocentibus, & non advertentibus datum est: quod confirmari potest; nam damnum ab infante, vel amente datum compensandum est solum ideo, quia tale damnum non censetur factum humano modo, & voluntariè, sed solum fortuitò. ita autem se habere videtur damnum datum ex culpa merè Juridica; nam nec ipsum datum est humano modo, & voluntariè, cum injuria propriè dicta, sed quasi fortuitò. ergo &c.

3. Si hæc obligatio daretur, fuisset imposita vel Jure naturali, vel Jure positivo, vel ex conventionem partium, aut Judicis præcepto. Non ex *Judicis præcepto*; quia ponitur tale nullum a se. Non ex *conventionem partium*; quia supponitur nulla præcessisse talis conventio. Non ex *Jure positivo*; quia *citt.* & similes Leges obligationem istam non clarè imponunt, cum hoc à multis, & gravissimis JCtis negetur, & ferè ab omnibus etiam Adversarijs in dubium revocetur, ut proinde locus sit Regulæ, quod in re dubia, & obscura, benignior pars præferenda sit. *l. semper 56. & l. ea que 192. §. in re 1. ff. de R. J. & videatur standum pro immunitate ab obligatione, sive libertate, in cujus possessione homo à natura constitutus, & in dubio conservandus est juxta Reg. in pari 65. in 6.* Non denique ex *Jure naturali*; quia hoc Jure duplex solummodo est radix restitutionis, ex re accepta,

& ex injusta acceptione. Ex re accepta oriri obligatio compensandi damnum in nostro casu non potest; quia ponitur, quod damnificanti indè nullum lucrum, vel emolumentum confurgat. Sed neque ex *injusta acceptione*; quia cum laeso facta sit omnino inadvertenter injusta dici non potest.

Neque contrarium probant Argumenta *n. 90.* allata. *Ad 1.* esto, Leges illæ, quatenus decernunt reparationem damni culpâ Juridicâ dati, sint justæ, & non merè pœnales, obligationem tamen in conscientia propterea non inducunt, propter defectum sufficienter manifestatæ voluntatis obligandi in conscientia eum, qui damnum omnino inadvertenter, & involuntariè intulit. *Ad 2.* estsi Legislator humanus potuerit hanc obligationem imponere, tamen dubium est, an illam revera imposuerit. in dubio autem præferendum est, quod est benignius, & favendum libertati, cui in dubio non est imponenda obligatio *arg. l. arrianus 47. ff. de O. & A. Ad 3.* ibi, ut *Lessius* explicat, Pontifex loquitur de damno dato ex culpa Theologica, cum agat de culpa lata, quæ nunquam, aut rarissimè est sine culpa Theologica. Sumitur ex *textu c. fin. cit. ibi, nec ignorantia te excusat. si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam.* *Ad Conf.* eadem est responsio; culpa enim in re tam periculosa, & magni momenti, est culpa lata, atque ad eam vitandam gravis est obligatio. Eodem modo explicandi sunt reliqui Canones, & Jura, quæ in contrarium esse videntur: quia loquuntur vel de culpa lata vera; & tunc habet illa sibi conjunctam culpam Theologicam, sicque etiam obligationem in conscientia: vel de præsumpta in foro externo, quæ præsumptio non habet locum in conscientia, ubi veritas stat contra præsumptionem. Si neutrum sit, dici debet, quod sint pœnales, adeoque iterum non obligant in conscientia ante sententiam.

Dub. 3. an saltem detur post sententiam Judicis obligatio in conscientia ad compensandum damnum ex culpa merè Juridica datum. Negat Haun. *tom. 1. de J. & J. tr. 2. n. 178.* cum *Rebello*, & alijs. Fundantur 1. quia Leges illæ, quæ imperant reparationem damni sic dati, & sententia secundum eas lata, fundantur in præsumptione culpæ Theologicæ; Sed Lex humana fundata in præsumptione, si hæc falsa sit, non obligat in conscientia, ubi præsumptio veritati cedit, ergo &c. 2. eadem Leges vindicant damnum injuriâ datum *pr. inst. & l. si servus 3. ff. ad Leg. Aquil.* sed injuria involvit culpam Theologicam. 3. damnum culpâ merè Juridicâ datum reputatur

atur instar illati per casum merè fortuitum. Sed hoc reparandi obligatio in conscientia nec ante, nec post sententiam datur. 4. ex communi Juristarum doli incapaces hac Lege conveniri non possunt, & hoc non alio ex capite, quàm quia non sunt capaces culpæ Theologicae. ergo ubi culpa Theologica non est commissa, non est obligatio ex ista Lege. 5. Lex humana non potest disponere contra Legem naturalem. sed Lege naturali non est obligatio reparandi damnum sine culpa Theologica datum. ergo nec dispositione Legis humanae ejusmodi obligatio in conscientia induci potest etiam post sententiam.

97 Sed his non obstantibus, dicendum adhuc, quòd post sententiam Judicis datur obligatio etiam in conscientia ad compensandum damnum etiam datum culpâ merè Juridicâ. Est communior DD. cum Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 698. n. 5.* Wiestner *hic n. 34.* Reiffentuel *ibid. n. 44.* Ratio est, quia nisi obligarent ejusmodi Leges saltem post sententiam Judicis in conscientia, ferè inutiles essent, & carerent suo fine, cum seclusa tali obligatione, posset quis nihilominus post latam sententiam damnum non compensare, aut postquam compulsus esset ad hoc refarciendum, occultam compensationem quærere: quæ licentia præberet ansam plurimis, & maximis diffidiis, neque satis cautum esset privatorum Juribus, aequè etiam communi bono, oportet igitur saltem post sententiam esse obligationem in conscientia ad refarciendum damnum, proximo datum etiam per culpam merè Juridicam.

98 Atque hinc sequitur, eum, qui damnatum, ex ejusmodi culpa datum, per Judicis sententiam coactus solvit, non posse id, quod in damni reparationem solvit, repetere, vel occulta compensatione uti; quia solvit, quod in conscientia obligabatur solvere. Ante sententiam autem, sicut qui damnatum ejusmodi dedit, ad reparationem illius non obligatur, ita nec ei, qui damnatum passus est, jus compensationis occultæ competit, ut colligitur ex *l. Legis s. C. ed Leg. Aquil.* quâ dicitur, eum, qui passus damnatum est, refarcitionem damni confesqui debere *competentis Judicis auctoritate.*

99 Neque contrarium evincunt Argumenta *n. 96.* in contrarium allata. Ad 1. Leges illæ non fundantur in præsumptione culpæ Theologicae; nam Lege Aquilia obligatur etiam, qui culpâ Juridicâ solummodo levissimâ damnatum dedit, ut colligitur ex *l. idem Juris s. S. mulionem 1. & l. in lege 44. ff. ad Leg. Aquil.* culpa autem Juridica levissima non solet esse Theologica. Colligitur id ipsum etiam ex fine; nam Leges istæ actionem adversus damnificantem concedunt, & damnum refar-

ciendum imperant non tam in poenam damnificantis, quàm ad excitandam curam in adhibenda cautela, ne quis alteri vel per se, vel per res suas sit damno, ut ita magis consulatur Juribus privatorum, & paci, atque concordia Reipublicæ.

Ad 2. Injuria in his LL. ut habetur *l. sed etsi 5. S. injuriam 1. ff. eod.* nihil est aliud, quàm quod nullo Jure fit. potest autem aliquid fieri nullo Jure, & vel citra, vel contra Jus alterius absque culpa Theologica per meram culpam Juridicam.

Ad 3. distinguendum est inter casum merè fortuitum, seu illum, qui tam Theologicè, quàm Juridicè fortuitus est, & inter eum, qui solum fortuitus est Theologicè; nam quamvis ad casum merè fortuitum præstandum obligari aliquis, præciso speciali contractu, nequeat, vel ante, vel post sententiam, obligari tamen post sententiam potest ad præstandum casum, qui fortuitus est Theologicè, non autem Juridicè: & talis casus est damnum culpâ merè Juridica datum. Ad 4. soli illi, qui doli capaces sunt, Lege hac conveniri possunt; quia qui conveniri hac Lege possunt, debent esse capaces diligentia, & providentia humano modo adhibenda, ad præcavenda, & providenda damna alijs oritura, in cujus diligentia, & providentia omissione stat culpa Juridica. atqui qui doli capaces non sunt, non sunt capaces hujusmodi diligentia, & providentia, ergo mirum non est, quòd conveniri hac Lege nequeant, cum etiam conveniri nequeant de culpa Juridica. Ad 5. Lex humana non potest disponere contra Legem naturalem illi repugnando, aut adversando, potest tamen disponere contra illam inducendo obligationem aliquam, quæ determinatè per Legem naturalem non est inducta, si hoc bonum commune exigat: & talis est obligatio Legum istarum inducentium obligationem in conscientia ad compensandum damnum culpâ Juridicâ datum post sententiam; plurimum enim obligatio ista prodest ad accurandam hominum industriam, & præcavendam damnificationem aliorum. Et hinc Lex naturæ deobligans à reparatione damni cum culpa Juridica dati sine Theologica solum est conditionata, nisi scilicet legitimus Magistratus propter exigentiam boni communis Legem de compensatione etiam talis damni, per culpam merè Juridicam dari, post sententiam faciendâ tulerit, qua conditione posita deobligatio ab hujus compensatione faciendâ cessat, cum etiam Lex naturæ jubeat servare Leges humanas justas, utiles, & necessarias bono Reip.

Dub. 4. an conveniri etiam possit aliquis ex damno sine vera, & propria

Dub. 4. an conveniri etiam possit aliquis ex damno sine vera, & propria

pria culpa dato? *¶* affirmative. Patet ex Legibus, quæ obligationem inducunt ex quasi delicto, & ex nocimento per servum, vel animal sine propria domini culpa dato. *Primum* exemplum est *Judex* per errorem, aut imprudentiam malè judicans; nam iste, licet non supponatur verari dolosè, aut culpam admittere credatur à Jure, adeoque Delictum verum non committat, ita judicando tamen committit quasi Delictum *pr. inst. de Oblig. quæ ex quas. delict.* quia præsumitur, aut magis fingitur in eo esse culpabilis, quod vel ipse rem non sufficienter discussit, vel, cum potuisset, prudentiores, & peritiores non consulit. Contra hunc ergo ei, qui per imperitiam ipsius læsus est, datur Actio in factum, quæ petit, ut *Judex* malè judicans tantum illi præstet, quantum religioni *Judicis Superioris* æquum fuerit visum *pr. inst. cit. & l. fin. C. de pœna. Jud. mal. jud.* *Magnif. P. Schmier p. 3. de Delict. c. 1. n. 148. & duob. seqq.*

2. *Paterf.* vel alius habitator, ex cujus ædibus projectum, vel effusum aliquid est, quod transeuntium personis, vestibus, aut rebus damnum intulit; nam hic, etiamsi nihil sciverit de effusione, vel dejectione ab alio facta, eatenus præsumitur, aut potius fingitur delinquere, quatenus non magis vigilavit, aut cavet, ne quid cum alterius detrimento dejiciatur, vel effundatur *§. item is i. Inst. de oblig. ex quas. delict.* Quare contra ipsum ei, qui læsus est, datur actio dejecti, vel effusi, & quidem si læsio contigerit in rebus pecuniæ æstimabilibus, veluti in vestibus, per ipsam petit, ut duplum damni illati præstet *§. item is cit. l. prætor ait 1. & §. seqq. ff. de his, qui effud. vel dejec. si verò læsus sit homo liber in sua persona, actio dejecti, vel effusi est popularis, daturque ad 50. aureos in casu mortis actori solvendos l. prætor ait cit. §. sed cum 5. in casu autem vulneris ad impensas curationis, & operas cessantes solvendas §. item is cit. & l. fin. ff. tit. cit. Myller in Struv. Exercit. 14. thes. 31. Magnif. D. Verlohner ait. de ex Edict. de his, qui effud. n. 3. Magnif. P. Schmier c. 1. cit. n. 151. & seqq.* Simile quid est in casu, quo aliquid positum, vel suspensum est in loco, ubi vulgò sit iter; nam si hoc ceciderit, & lapsu suo prætereuntibus, aut ponè consistentibus damnum intulerit, contra eum, qui author est talis positionis, vel suspensionis, quia debitam cautelam adhibuisse censetur, datur actio in factum, seu actio positi, vel suspensi, ut pro damno solvat 10. solidos seu aureos *l. si verò §. prætor ait 6. ff. tit. cit.*

3. *Caupo* vel *Rector navis*, nam hic, si in navi ejusdem, cauponâ, vel

stabulo per famulos, aut inquilinos vestroribus, & viatoribus per furtum, vel aliud maleficium damnus illatus sit, quamquam confcius, aut particeps nullo modo sit, in eo tamen delinquere creditur, quod famulorum, & inquilinorum fidem accuratius non exploraverit *§. fin. Inst. de oblig. ex quas. delict.* ac propterea convenitur actione in factum, ut præstet duplum ejus, quod actori ex damno in navi, caupona, aut stabulo à suis ministris famulis &c. caulari abest *l. fin. §. hæc actio 1. & §. seq. ff. naut. caup.* *Magnif. D. Christoph. de Chlingenberg Inst. de oblig. ex quas. Magnif. P. Schmier l. cit. n. 159. & seqq.*

4. *Dominus*, cujus *Servus* alteri¹⁰³ damnus, vel quadrupes pauperem, h. e. nocumentum intulit; nam contra hunc, quia ipsi imputatur in culpam, quod servum suum, vel animal non amplius custodierit, vel cautelam sufficientem non adhibuerit, si quidem per servum ejus damnus illatus sit, ita læso datur actio noxalis, si verò per animal, Quadrupedaria, Directa quidem, si animal fuerit quadrupes, & mansuetum, Utile verò, si bipes, vel bestia cicurata, & custodia hominis coercita *l. si quadrupes 1. pr. & l. hæc actio 4. ff. si quadrup. paup. Stryck tr. de Action. sect. 1. membr. 10. §. 66.* Petitur per hanc Actionem, ut dominus tali servi, vel animalis, vel æstimationem damni solvat, vel servum ipsum, aut animal, per quod nocitum est, noxæ dedat, h. e. in damni compensationem actori relinquat *pr. Inst. & l. si quadrupes cit. pr. ff. si quadrup. paup. l. noxales 1. & tot. tit. ff. de noxal. act. ita, ut in electione rei conventi sit, an velit servum, vel animal noxæ dare, vel damnus aliter resarcire l. si quadrupes cit. pr. nisi per mendacium negaverit, animal damnificans esse suum; tunc enim amittit alternationem, damnusque resarcire adstringitur *l. cit. §. interdum 15.* Plura de his *Civilista.**

Quoad obligationem in conscientia¹⁰⁴ ex Legibus noxalibus, de pauperie, & ex quasi delictis dicendum idem, quod à n. 90. dictum est de obligatione ex damno per culpam merè Juridicam dato; nempe post sententiam datur obligatio etiam in conscientia damna hæc reparandi, non autem ante. *Ratio primi* est, quia *Leges* istæ, quæ resarcitionem damni sic dati imperant, sunt justæ, & inductæ ex fine boni publici, ut homines tanto accuratiores reddantur ad damna aliorum impedienda, igitur ne elusoria omnino sint saltem debent post sententiam obligare. *Ratio secundæ*, quia major obligatio vix à quoquam mortalium agnoscitur, cum *Leges* ejusmodi nullam supponant culpam etiam *Juri-*

Juridicam, nisi ad summum præsumptam: unde erunt quasi poenales, quæ ante sententiam nullam inducunt obligationem in conscientiam ad poenam solvendam. Excipitur, nisi natura, caupo &c. promississet pacto, se omne damnum quovis modo per homines, vel animalia sua inferendum compensaturum; tunc enim ex pacto etiam in conscientia obligatio nasceretur. Engl. hic n. 45. fin.

105 Porro ex his consequitur 1. eum qui per sententiam condemnatur, damnum per homines, vel animalia sua datum refarcit, non posse solum repetere, vel occulta compensatione uti; quia solvit, quod in conscientia obligabatur solvere. Si tamen damnum hoc per hominem datum fuit, potest is, qui condemnatus solvit, id, quod solvit, ab eo, qui damnum dedit repetere. l. prator ait 1. §. tot. tit. ff. de his qui esuder. Sequitur 2. ita damnificatum non posse ante sententiam, & extra viam Juris sibi ipsi ex rebus ejus, per cuius homines, vel animalia damnum passus est, refarcitionem damni illati querere; quia ante sententiam nihil adhuc eidem debetur. Sequitur 3. non esse licitum aliena animalia, in agris, vel segete deprehensa, interficere, includere, vel aliud eis damnum inferre; tum quia hoc modo dominus eorum innocens pareretur damnum; tum verò, quia damnificato contra ipsum pro damno dato ordinarium Juris remedium competit. Abigi proinde debent sine damno, vel dominus admoneri, ut recipiat. l. Quintus 39. & l. seq. ff. ad Leg. Aquil. Si tamen inclusio non fieret animo celandi, seu subtrahendi, sed ut deveniatur in cognitionem domini, quia animalia foras ignota sunt; vel si consuetudo permittat talem inclusionem quasi pro pignore, usque dum dominus satisfaciat, tolerari hoc posse cenfet Molin. tr. D. 697. n. 23. Engl. n. 34. §. si tamen & talem consue-

tudinem passim inductam, testantur Christoph. Richter, decis. 5. David Mævius ad Jus Lubec. l. 3. art. 3. tit. 11. à n. 9. Magnif. D. Christoph. de Chlingensperg Inst. si quadrup. paup. sec. q. 3. Magnif. D. Verlohner act. de pass. pecor. §. de pauper. n. 3. & consentit Jus provinciale Bavaricum Land = Recht tit. 27. art. 7. §. 8.

Dub. 5. cui facienda sit restitutio ex Lege Aquilia, vel noxalibus, aut de pauperie, & quamam cause excusent à restitutione? 1. restitutio facienda est ipsi læso, vel ejus hæredi, si notus sit, pro læsionis modo, & ordine Juris. Excusat autem

1. Impossibilitas physica, vel moralis, ut si restitutio fieri nequeat salvâ vitâ, si nequeat fieri sine damno boni ordinis superioris, si ob paupertatem, restitutione facta, ad hanc condemnatus, deberet carere necessariis sibi ad vitam: quibus casibus tamen obligatio compensandi damnum, præcepto Judicis imposita, non cessat absolute, sed tantum suspenditur, ut solum tamdiu duret excusatio, quamdiu ratio excusans durat. Engl. hic n. 44.

2. Excusatur condemnatus, si condonatio obligationis facta ipsa à læso est; cum enim sententia hæc prolata sit in favorem læsi, & favoribus sibi factis quilibet renuntiare possit, non apparet, ex quo capite prohibeatur læsus obligationem istam arbitrio suo lædenti remittere.

3. Excusatur, si læsus jam aliunde sibi compensavit damnum, quod passus est, ex bonis lædenti; tunc enim nihil ipsi debetur amplius, & sententia tantum procedit ex suppositione nondum factæ compensationis. Idem dic, si lædens ipse ante sententiam damnum jam compensavit.



S U M M A R I U M.

108. Definitio Repressalium.

109. Generaliter sunt illicitæ.

110. Nec per consuetudinem licite fieri possunt.

111. 112. Conditiones, cum quibus licite indicuntur.

113. &c. An possint admitti etiam contra innocentes?

116 &c. An contra Ecclesiasticos, & eorum bona?

118. An contra Scholares?

QUÆRITUR 1. quid sint Repressalæ? *Repressalæ*, barbaro nomine, Latine *Pignorationes*, sunt, quando una persona, vel res ejus pro delicto, aut debito alterius capitur. Si fiant à Principe, vel *Resp.* concedi plerumque solent per *Litteras*, per quas subditis, aut militibus suis, damnum injustum passis Princeps, aut *Resp.* dat potestatem invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, in compensationem damnorum, quæ ipsis illata sunt. *Sylv. V. Repressalæ n. 1. Laym. l. 2. tr. 8. c. 12. n. 13. v. atque huc, Pirhing bic n. 21. Sannig ibid. c. 2. n. 3.*

QUÆRITUR 2. an licitæ sint Repressalæ? *Re.* generaliter loquendo sunt illicitæ; nam *c. un. b. tit. in 6. & Novell. 52. c. 7.* injuriis annumerantur: & merito; quia non est æquum ob culpam, & crimen alterius innocenti infligi pœnam, quæ tantum suum sequitur auctorem *l. sumimus 22. C. de pœn.* Et hinc in *Novell. 61.* Imperator sereno mandavit Judicibus tales pignorationes punire, simulque statuit, ut in Civili causa faciens pignorationem reddat quadruplum, & insuper causam amittat.

110. Estque hoc ita verum, ut nec consuetudine induci possit, ut Repressalæ privatis hominibus indifferenter permittantur; quia cum *c. un. cu.* declarentur Juri naturali contrariæ, consuetudine, quæ contra Jus naturale nihil operatur, licitæ fieri non possunt *§. sed naturalia 12.* & ibi *DD. Inst. de I. N. G. & C.* unde talis consuetudo *c. cit.* non consuetudo, sed abusus nominatur. Dixi autem generaliter loquendo; nam in certis casibus, & certis conditionibus concurrentibus, contra certas personas, & universitates, quæ requisitæ Justitiam non ministrant, & iis solventes, Repressalæ non sunt illicitæ, Ancharan. in *c. cit. not. 2. Franc. ibid. not. 1. Zoesl. bic n. 19. Pirhing n. 21. Engl n. 22. Sannig c. 2. n. 3.*

QUÆRITUR 3. quæ conditiones requirantur, ut Repressalæ fiant licitæ? *Re.* 1. requiritur *Authoritas Principis*; nam indici debent à Principe, & quidem tali, qui bellum possit indicere. *Covar. Reg. peccatum p. 2. §. 9. n. 5. v. bino denique*, & alii passim; quia sunt quædam species belli, & bellum saltem particulare.

2. *Justa causa concedendi*, talis scilicet, ob quam bellum indici possit: qualis est, si *Resp.* contra quam indicuntur Repressalæ, neglexerit vindicare, quod à suis, vel subditis ipsius improbè factum fuit; vel si recuset reddere, quod per injuriam ablatum est *can. Dominus 2. caus. 23. q. 2. Covar. l. 1. it.*

3. *Recta intentio illius*, cui conceduntur Repressalæ, scilicet compensandi damni, non privata vindictæ. *Pirhing l. cit.*

4. *Ut Repressalæ non excedant* damnum illatum, & interesse datum. *Pirhing, Sannig l. cit.* Item ut non fiant in personis, quæ damnum non intulerunt; quia iniquum est alium pro alio, sive pro culpa alterius prægravari *c. un. cit. pr. Zoesl. Pirh. Sannig l. cit.*

5. *Ut Princeps, vel Resp.* adversus quem Repressalæ indicuntur, prius moneatur, & post monitionem neglexerit compensationem facere, vel impetere *can. dominus*, & *DD. cit.* nec enim videtur omnino extra culpam esse, qui negligit vindicare suorum improbitatem, vel Justitiam super debito facere recusat, aut differt, & sceleris auctorem apud se latitantem non tradit.

QUÆRITUR 4. an Repressalæ possint admitti etiam contra innocentes, qui inter nocentes commixti degunt? *Re.* in personas eorum non posse, ut patet ex *n. præc.* & ratio ulterior est, quia ut nemo specialiter ad pœnam corporalem pro alio se obligat, aut obligare se potest, cum non sit dominus membrorum suo-

suorum ; ita nec obligari potest per istam obligationem generalem. igitur ad innocentium offensionem in persona per se loquendo Pignorationum, & Repressalium consuetudo non permittitur.

114 Dixi in persona ; nam in rebus etiam innocentium licent Repressalæ, si aliunde adsint conditiones ceteræ, ita, ut bona eorum diripi, & occupari possint. Covar. in Reg. peccatum p. 2. §. 9. n. 5. v. hinc in fallor, Zoel. hic n. 19. Pithing n. 21. nam bonorum suorum damno potest quilibet se subjicere, & Legi, vel Statuto nomine alterius alterum subjicienti consentire, debitumque alienum, licet sine culpa sua, ex causa tamen civiliter luere. Quodsi tamen innocentes in hujusmodi Repressaliis patiantur damnum in rebus suis, salvus manet eis regressus adversus eum, qui criminis, aut debiti author fuit. Zoel. l. cit.

115 Addidi per se loquendo ; ex accidenti enim permissum est etiam innocentes occidere, & ladere in suis personis, si Repressalias exequentibus repugnent, & se, suæque defendant. Covar. Pirb. l. cit. Ratio est, quia aliter Repressalæ, legitime indictæ, exerceri non possunt.

116 Quaritur 5. an contra Ecclesiasticos, vel bona eorum, concedi Repressa-

lia possint ? 3. negativè. Ita habetur c. un. b. tit. in 6. ubi damnatur omnis contraria consuetudo, & contra transgressores hujus Decreti, si personæ singulares fuerint, sententia Excommunicationis ; si verò Universitates, Ecclesiasticum Interdictum decernitur, nisi intra mensem hujusmodi concessionem, vel extensionem revocaverint. Zoel. hic n. 19. Pithing n. 22. Engl. 20. fin.

Unde sequitur, quod, si Repressalæ simpliciter, & generaliter concedantur in aliqua Provincia, illæ non extendantur ad Clericos, & Religiosos, nec ad propria illorum bona, quippe quæ gaudent eodem privilegio, quo ipsæ personæ. Franc. in c. un. b. tit. in n. 7. Ratio est, quia cum Repressalæ sint odiosæ, non sunt extendendæ, sed restringendæ. Accedit, quia expressa, & specialis concessio adversus hos & bona illorum non valeret, ergo nec generalis ; hæc enim comprehendere nequit, quæ in specie prohibentur.

Similiter generali Repressalium Decretum non comprehenduntur Scholares juxta Aub. habita c. ne filius pro patre &c. quæ licet loquatur de studentibus Juri Civili, tamen eadem ratio est de iis, qui student in aliis Facultatibus, maxime Juri Canonico. Gloss. hic post casum in notatis.

